Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0001-3

R, I, 58.

I, 58.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0002-8

~~282.~~

173

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0003-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0004-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0005-5

8

RE

G.

M

M

GE

A.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0006-0

# EPITOME RERUM GERMANI-carum

*Ab Anno*

M. DC. XVII.

*Ad Annum*

M. DC. XLIII.

GESTARUM.

---

A. Chriſti 1643.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0007-5

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

L

R

pendio

ctorem

uitate

ſcurita

neceſſa

res ipſa

quas n

neceſſe

Ann

M

MAth

is a

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0008-1

# LECTORI.

*Rerum Germanicarum immenſa moles brevi cõpendio incluſa ſi quem lectorem nanciſcatur, breuitate ſe commendabit, obſcuritatis excuſatione non neceſſariâ, quando adhuc res ipſæ in luce verſantur, quas notare, non explicare neceſſe ſit.*

Annus à Chriſto nato.

M. DC. XVII.

MAthia Imperatore, fuit is à Lutheri primis ini-

tiis centeſimus, non tam ſæculari celebritate Proteſtãtium, quam eo ad memoriam inſignis, quod tum primum fata Germaniæ, quibus nunc quoque exercetur, iam diu inteſtinis diſcordiis provocata ſe aperuerint, quarum vna haud dubia cauſa, præter ea quæ, populos nimiâ libertate luxuriantes, in mutuas diſſenſiones agere ſolent, Religio fuit recens repertis opinionibus, quarum ſæculare anniverſarium agebatur, in contrarias nova vel vetera defendentium factiones diviſa, & iam antea quoque ad iuſti belli vim progreſſa: ſed tùm Paſſavienſi pacificatione conceſſum in conditiones fuerat, resque

intra

intra pactæ, dubiæ licet & ſæpe ſollicitatæ pacis terminos uſq; eò manſerunt, dum hoc demum anno Calviniſtarum factio, quæ quamvis pace illa excepta, tamen uſurpatâ illius licentiâ im̃enſis opibus ſuccreverat, longa belli meditamenta proferre incæpit. Otium Germaniâ totâ & à Turcicis, & ab externis aliis armis erat, id illi augendo inſtruendoque fœderi impendentes, quod ante paucos annos Proteſtantium aliqui eis auctoribus contraxerant, multis ſuâ ſponte, aliis ut in re ambiguâ aliorum perſuaſu nomina dantibus iam novam animis Imperii Romani formam quæ ipſorum arbitrio ordi-

narctur deſtinabant. Saxonem multosq; veterum Proteſtantium, qui media præ abruptis, quieta præ turbidis malebant, res illa à principio non leviter perturbavit, præſertim cum ex adverſo pari animorum ardore à Catholicis conſilia resque ſui propugnandi cauſa, conſociari viderent, ancipiti eventu, quæcunq; pars viciſſet, cum etiam illorum victoria, quibus ſtudio Religionis proventum cupiebant, media caſuum amplexis timenda foret. Ac nemo non videbat Germaniam bellis civilibus in exitum ruituram, idipſum agentibus externis, qui partium ſtudia callidè promovebãt, vt gens poten-
tiſſi-

tiſſima inteſtinis motibus diuiſa obnoxium proximis latus aperiret, longęq; libertatis licentiâ concideret, quando eius modum quiuis uſurparet, perinde atque opum copia ſuppetebat, id iuris in alium poſtulando, quod in ſe ipſum concedebat nemini, cum illis ipſis legibus fatigaret adverſarium, quarum vim in ſe verſam facile eſſet potentiori eludere per Appellationum Reviſionumque ambages, vado omni & ingreſſu, ne dum exitu carentium. Quid enim ſuperfuturum niſi ut tandem diſcordiâ illâ, cui illum à iure remedium, in apertum bellum prolatâ Germania fieret inteſtini furoris lanienâ, & ex-

teri dominatus præmium & acceſſio? aut à quo res ſemel impulſas ſuſtentari poſſe, cum in morem adacto Germanici Imperii regimine, ut cum ſummæ poteſtatis nudum nomen penes Cæſarem eſſe appareret , rebus opibusq́ue Imperii in Principes Civitatesq́;, inveteratâ iam poſſeſſione, diſtractis , is cui precario iure parendi ea ſolum, quæ quivis ſponte faciat, imperare promptum ſit, magis unius factionis pars, quam ambarum arbiter, aut adverſus externos Dux futurus eſſe videretur ? In eo animorum motu Matthias Cæſar ætate curisq́ue fractus, quarū tædio iam olim ſuccubuerat, cum ſobole careret

reret ſpe ſucceſſionis in Ferdinandum Archiducem patruelem ſuum inclinata, fratre Alberto, quem itidem ætas ſpesque prolis defecerat, & Hiſpanis qualicunque iure ſuo ultro concedentibus, illum Regno Bohemiæ inaugurandum curat.

## An. M. DC. XVIII.

IAm Ferdinandus Hungariæ quoq; ſucceſſor declaratus erat, cum Bohemi & propria levitate (ſed Religio obtendebatur tanquam ſine periculo ſtare non poſſet, niſi in ipſa pericula propelleceretur) & haud dubio Calviniſtarum impulſu, qui eam tempeſtatem cui imminebant, quacunque ex parte

erumpere cupiebant, arma capiunt in Cæſarem Duce Mathia Comite Turriano, qui vt efferveſcentem primo impetu rebellionem per atrox aliquod facinus eò præcipitem ageret, vnde ſe ipſam revocare non poſſet, auctor fuit ut tres ex Primariis Cæſariis Miniſtris ex ſumma Pragenſi arce raptim præcipitarentur. Miraculi inſtar fuit eos caſu illo quamvis ſumma locorum altitudine nihil læſos. Primò motus illos Cæſar per legatos, ſed fruſtra ſedare conatus, tandem aperto bello Bohemos aggredi iubet Henricum Tamperium, magno armorum uſu & rebus nuper contra Venetos non in-

Bethlemo Gaborio Tranſilvaniæ Principe, qui Presburgo primaria urbe potitus, protinus in ipſam Auſtriam ſe victor effudit, plenusque populationũ Turcico more, quorum ille fiducia Tranſilvaniam poſſidebat, & tunc auxiliis iuvabatur, exercitarum ipſis Viennæ mænibus inſtitit, ſed trepidis nuntiis acceptæ domi cladis, quam Humanaius Cæſariarum partium Dux intulerat, urbem deſerit, quam paulo ante Turrianꝰ quoq; Bohemorum ductor, cum Ferdinandus ipſe intus eſſet, ſpe proditionis cum nonnullis civium ſeu compoſitæ ſeu creditæ tentare auſus fuerat, cum magnam Auſtriæ partem

vel

vel vi, vel ſponte, eorumque defectione ſubegiſſet, quos eadem cum Bohemis conſiliorum libido armauerat. Vix unquam Ferdinandi res propius ſummum diſcrimen fuerunt, ſed maior humana vis proditionem internam diſcuſſiſſe viſa, & Bohemi auditâ domeſticâ clade, quam à Bucquoio Mansfeldius acceperat, obſidionem omiſerunt. Intera Confœderati Catholici Germaniâ totâ aut aperto bello aut belli timore implicitâ & ipſi militem conſcribunt, ſumma fœderis Maximiliano Bauariæ Duci permiſsâ, eo maiore animo, quod Ferdinandus Archidux omnibus Electorum ſuffragiis Rom. Imperator

renunciatus ſpem eorum eluſerat, qui alium Comitiorum eventum, aut moras interregni longiores, ſemper magnis rerum mutationibus obnoxias, operiebantur.

## An. M. DC. XX.

VAriatum interea præliis minutis in Bohemia. ſine diſcrimine ſummæ rerum, cui ſcilicet maior belli exſpectatio ſe inſerverat in Germania ipsâ emergentis, nam cum Vnio (id confœderatis Proteſtantibus nomen) prope Vlmam coactum exercitum ſub ſignis haberet, Bavarus quoque productis Catholicorum copiis, caſtra caſtris contulerat, ſed neutrâ partium illic fortunam,

quam

quam ſata alibi locorum tranſactura erant, experiri auſâ, req; pro tempore conditionibus cõpoſitâ, Bavarus receptis ad ſe auxiliis, quæ à Leopoldo Cæſaris fratre in Alſatia cõſcripta erant, iam apertè Cæſaris miles movet in Bohemiam, & Auſtria ſuperiore ex itinere ad obſequiũ redacta, cum obviũ ſemel hoſtem ſecũdo equeſtri prælio profligaſſet, tandẽ ſub ipſis Pragæ urbis mænibus fiducia loci reſiſtere auſum, memorabili pugna fundit, & Palatino in Sileſiam profugiente paucis exceptis urbibus Bohemiã totam in fidem Imperatoris reſtituit, cum paulo ante Saxo quoque cui neutrarum partium eſſe li-

cue-

cuerat, vt ſuam Cæſari fidem cum illius fortunâ obligaret, Luſatiam armis invaſiſſet. Exercitus Vnionis Palatinatum inferiorem, in quem Spinula promotis è Belgio Hiſpanicis copiis, Cæſaris mandatu irruperat, fruſtra defendere conatus, maiore eius parte hoſti conceſſa, inglorius dimittitur, ſeu dux novus Ioach Erneſtus Brandenburgicus Duci veterano Spinulæ, quanquam lectæ è Batavis ſuppetitię hinc militarent, virtute ceſſit, ſeu affirmata ſucceſſu ſuſpicio, plura tum auro quam ferro adminiſtrata. Ita brevi pòſt fœderis ipſius nomen ſeneſcente partium concordia ex rerum inproſpere cæptarum

tædio

tædio extinctum eſt, & Palatinus propriarũ rerum verſurâ adventitii Regni iacturæ & perturbatæ patriæ pœnæ ſatisfecit, ſolſtitialis Rex, quo eum nomine temeritas fortunaque ſua ad inimicorum ludibrium inſignivit. Dum Bucquoius Pragenſis victoriæ, cuius periculum magis cum eo quam gloria communicata, terrore Moravos ad obſequium cogit, Tamperius Hungaros, palam adſcito in Regium nomen Gaborio, deſciſcentes, aggreſſus, Presburgo obſeſſo, dũ incautius ſub muris verſatur, nõ digno in tãto duce temeritatis exitu glande ictꝰ occubuit. Eodem tempore inteſtinum in Rhætia bellum

erum-

erumpit, initio per Vallistellinæ incolas ab improviſa cæde eorum facto, qui contrariæ Religionis factionisque ſtudio vindicandæ à Ciſalpinis Rhætis, in quorum ditione erant, libertati, aut in mitiorem dominũ tranſferendæ obſtare crediti. Res ea favorabilis apud confines Italiæ Principes, ſed auxilia ab Hiſpanis lata inviſa fuere, ſuſpectis magnæ potentiæ quibuſvis molimentis, cui nihil quamvis modicum adcreſcere poſſet, quod non proxima traheret. Fuitque poſtea magnorum motuum ſeminarium nõ tam ſui pretio Vallis illa, quam ſitu jungendis Ciſalpinis Tranſalpinisque viribus opportuno

&,

& periculoſo, ſi poſſideret, qui uti poſſet.

## An. M. DC. XXI.

SPinula è Palatinatu ovans confectâ Provinciâ redit in Belgium armorum Hiſpanicorum ducatu penes Conſalvũ Cordubam relicto, qui illius laudem vanè æmulatus Franckentalio fruſtra tentato, magni ducis nomen poſtea temperantius inſectari didicit, cum Spinula iam novum glorię gradum impleret Iuliaco, ſub exitum Belgicarũ induciarũ proſperiori famâ, obſeſſo. Palatinꝰ interea turbatæ publicæ pacis reus, decreto Cęſaris proſcribitur, unà cum Chriſtiano Anhaltino intimorum conſiliorum

arbitro, ſed huic deinde deprecanti venia cõceſſa, utpote nec delicto, nec pœnæ emolumento, nec pertinaciâ pari, cui Palatin9 uſq; ad extremum incubuit, & tunc ad Ollandos conceſſit, abituq; ſuo Sileſiis omnem reconciliandæ cũ Cæſare gratiæ deliberationem exemit; quibus Saxone deprecatore confirmata Religionis libertas. Vnus ibi Iegerndorfius pacem morabatur, execrans ſupplicii atrocitatem à nonnullis tumultus Bohemici auctoribus Pragę exacti, ſed hic proſcriptionẽ pro vectigali amplexus eſt, & prædarum impune agendarum licentiâ ſibi fortaſſe aliquid & hæredibus, nam breui extinctus eſt,

par-

partium cauſæ nihil profuit. Bohemia à reliquiis rebellium ad Mansfeldium conglobatis purgatur, qui Tillio Bavarico Duce, à quo undique conſtrictus tenebatur, per ſimulationem deditionis eluſo, repēte è ſuperiore Palatinatu in Inferiorem tranſgreſſus, inde Alſatiam depopulando prædatoria arma magna quocunque advenit clade & nominis ſui terrore nobilitat. Tillius veſtigia fugientis necquidquam ſecutus aliquot Palatinatus inferioris oppida cis Rhenum expugnat, nam ſuperior omni auxilio, deſtitutus, ultro in Bavari poteſtatem venerat, confirmatâ poſtea á Cæſare pro navatæ operæ præ-

mio poſſeſſione, quo merito & Saxoni Luſatia conceſſa, ſed hæc proprii, illa alieni patrimonii largitio fuit. Leopoldus Archidux Rhætos, recuperatis aliquot ab intermortuæ poſſeſſionis iure in ditionem Auſtriacam pagis, armis victor pacat. In Hungaria Bucquoius multis pugnis ſecundis & Presburgo recepto elatus, dũ Neohauſaliam obſidet, fortè ab erumpentibus hoſtibus occiditur, pari cum Tamperio fato, cum ferale magnis Ducibus Vngariæ ſolum etiam hos omnibus prioribus bellis inoffenſos hîc demum vertenti præbuiſſet fortunæ. Galliarum Rex & ipſe ab Hugonottis ad arma impul-

ſus, ut omnium hoc tempore bellorum claſſicum eſſet Religio, Bearniam primæ originis aſylum eis adimit, parique progreſſu munitis aliquot arcibus, capitis tandem ad Rupellæ mænia infectâ re hæſit, longioris molimenti, non expeditionis tumultuario apparatu properatæ opus. Rex alter Hiſpaniarum Philippus III. rebus humanis excedit¦, hac extremâ voce vſus, ſatius ſibi futurum fuiſſe, ſi ignoti potius nominis Monachus, quam tantarum opum Rex decederet, Regnum quod tam facilè fertur graviſſimum expertus cum deponitur. Albertus, Mathiæ Cæſaris frater pari fato abſumtus. Extrema an-

ni Chriſtianus Brunſuicenſis conſcripto pro Palatino milite, novarum turbarum metu, ſollicita reddidit, Dux ætate & nobilitate ferox, congruenti hiſce temporibus ingenio, cum parata magnis auſis materies etiam ſegnes animos excitare poſſet. Hic ut pretium naſcendi exſolveret, iis factis innoteſcere cupiebat, quæ eum natum ubique loquerentur.

## An. M. DC. XXII.

GAborius cum Cæſare paciſcitur, & Vngariam, abdicato Regio nomine, in fidem eius reſtituit. Leopoldus Archidux Hagenoiam Alſatię urbem à Mansfeldio captam recuperare geſtiens,

improviſo eius advẽtu, quem Bavaricis armis deſtineri credebat, alienæ victoriæ fiduciam ſua clade luit Mansfeldio & alia iactandi materia præbita, quod Hiſpani eum pecuniâ ad tranſeundũ ſollicitaſſent, ſpecioſo argumento fidei ſuæ Palatino, qui ad relegenda amiſſi patrimonii naufragia ex Ollandia advenerat, quam auro vẽdere nollet, verbis venditandæ, cum maioris oblato pretio faceret, quod rogaretur, trinamque proſcriptionem, quâ eum Cæſar hoc anno notavit, in armorum ſuorum famam traheret, quippe quibus ipſe fideret, cum hoſtes minis precibuſve niterentur. Tillius quo-

quoque ignominiæ aliquid ei debuit accepta ad Mingelshemium clade, ſed mox confœderato ipſius Georgio Friderico Marchioni Badenſi maiori cum fænore redditam exſolvit, quam raptim conſcripto non contemnendi roboris exercitu novum è latere exortum hoſtem, & iam hoſtilium ſpoliorum ſectionem in ipſis Bavariæ viſceribus vanâ ſpe deſpondentem ſibi iūctis cum Corduba Hiſpanicis copiis prope oppidum VVimphenam caſtris exutum profligavit, & pòſt ex ipſa ditionis ſuæ provincia ſolum vertere coegit. Chriſtianus interea Brunſuicenſis ſubacto Paderbornenſi, & Monaſterienſi Epiſcopatu ex-

tu exactionibus exhauſto dum militem ex partæ prædæ manubiis iam legitimis armis ornatum per Fuldenſem & Darmſtadiæ ditionis agrum, omnia quà tranſibat rapinis agendo ferendoque, ad maioris ſpei momentum in Palatinatum trahit, in Victorem incurrit Tillium, à quo prope Hoêſtũ oppidum ad Mœni ripas brevi pugnâ victus, reliquias tamen cæſi exercitus cum Mansfeldio coniungit, qui cum iactatæ Palatino fidei maius experimentum vicinis vexandis (in quibus fuit Ludovicus Haſſiæ Landgravius, Darmſtadiæ cum filio Saxonis genero, illatà cauſâ, quod hoſtibus ſtuderet, captus, & magnâ

pecu-

pecuniæ vi libertatem paciſci
coactus) quam ad ſua recupe-
randa dediſſet (quâ ille deſpe-
ratione, cum eum auxilia
quoque à ſocero Angliæ Re-
ge fruſtrarentur ad Ollandos
rediit.) Tillio ingruenti ce-
dens Alſatiam & Metenſem
Diœceſem ferro quantum fu-
gienti licebat, depopulatus,
in finibus Brabantiæ Cordu-
bæ Hiſpanico Duci, qui ſe op-
portunè venienti obiecerat,
pœnas dat, magnâ exercitus
parte amiſsâ, ita tamẽ ut cum
Brunſuicenſi dextro brachio
in illâ pugnâ mutilato, &
cum flore equitatus effugeret,
operamq; non inutilem Ol-
landis ad ſolvendam Bergæ
urbis Brabantiæ ad Zomam
fluvium obſidionẽ, quam vi-

ctor captor Iuliaco Spinula arctiſſimâ oppugnatione urgebat, navaret, quâ cum ſucceſſu defunctus inopem exercitum in Friſia Orientali, quam indictâ causâ invaſerat, rapinis & vicinorũ ſpoliis reficit, primusque exemplum hoc prodidit Provincialium copiis ſuſtentandi militem, quod poſtea in iuſti prope moris imitationem acceptum, non invitis Principibus, ſi bellum ſe ipſum alere poſſet, eò rem militarem quæ hodie obtinet, adduxit, ut legitimum bellum à latrocinio nil niſi armorũ cauſa diſtinguat, ſtipendiisque ex præſcripto ſolvi deſitis ſtatim quoque diſciplinâ belli ſolutâ Germania pri-
mum

mum ſui, pòſt exteri militis præda fieret, eo diſcrimine, quod hic ſpolia, alter & imperium rapiat, eóque ſucceſſu, vt cauſa quantumvis iuſta, ſed non iiſdem artibus adminiſtrata, in eius poteſtatẽ recideret, qui nõ tam ſuis opibus quam hoſtium vitiis in occaſionem ſuam verſis præliorum quidem plerumque dubiam, ſed belli iam fere certam victoriam conſecutus eſſe videtur. Tillius Palatinatum ab hoſte vacuum per otium ſubigit, Haidelberga vi, Manhemio munitiſſima arce deditione captâ. E Bohemiâ eiiciuntur Proteſtantium Religionis Concionatores, fruſtra deprecante Saxone, ne victoriæ

præmium fieret Religio, ſed Cæſar omnium turbarum cauſas ibi ſtare cauſatus propoſitum tenuit.

## An. M. DC. XXIII.

CVm à Cæſare Electorum conventus, qui tamen à Saxone & Brandenburgico per legatos duntaxat obitus, Ratisbonæ perageretur, Friderico Palatino lege Maieſtatis abrogatâ ſeptemvirali dignitate Maximilianus Dux Bavariæ ſufficitur. Variè ea res accepta, prout favor aut odium animos occupaverat, quamquam uterque & prȩmium & pœnam commeritus videbatur, tamen apud multos ſtudio Religionis aliovorſum verſa interpreta-

tio & plaga uni inflicta partium connexu terrorem in omnes vulgaverat: nec deerant externi qui ſuſpiciones intenderent, recta detorquerent, rem tantam ſine conſenſu ordinum novo, aut à nimia vetuſtate exoleto ſummæ poteſtatis exemplo peractam altius ſpectare, ſi fortunarum everſio pœnam ſequatur, has in eius arbitrio fore, penes quem pœnæ modus ſit; nec defore reos, ubi factio imperet, accuſatio pretium habeat, & lex Maieſtatis nullis iam exceptionibus unius familiæ ſit futura auctoritas. Hæc à Saxone & Brandenburgico non obſcurè iactata, ſed alterum Luſatia tenebat, alter erat

 poten-

potentioris acceſſio, ita res non ultra queſtus progreſſa, Imperatoris beneficium Bavaro ratum fuit, licet & Hiſpanis id faſtigii alteri, qui exinde non tam alte emineret, adſtrui malétibus. Franckenthalium ſola in Palatinatu Transrhenano ciuitas adhuc Hiſpanis auſa reſiſtere pacto ſe dedit, cum eodem tempore Angliæ Regis Filius in Hiſpanias traiiciens, ſororem Regis matrimonio iuncturus, Palatinatus reſtitutio dotis acceſſio futura crederetur, ſed res iam tot Principum quos illa reſtitutio tactura eſſet, ad diverſa tendentium rationibus & petitionibus implicita, ſucceſſu in unius arbitrium col-

lato caruit, & Anglus conditionem in Gallias tranſtulit, ducta inde Galliarum Regis ſorore. Interea cum Saxoniæ Inferioris Principes, conſcripto finium tutandorum cauſa milite Chriſtianum Brunſuicenſem Ducem legiſſent, ſed mox, offenſionem Cæſaris veriti exautoraſſent, ille armis haud ſecius retentis, cum à Cæſare pacem petere quam habere mallet, iam copias ſuas ad tringinta pœne millium numerum refeciſſet, Tillius tergiverſantem, & Mansfeldio, qui in Phriſiæ finibus & ipſe bellúm inſtaurabat, ſe iungere parantem prope Statlohum VVeſtfaliæ ex itinere aggreſſus tumultuario

certamine cum primi tan-
tum agminis coactores à par-
te Tillii rem totam tranſe-
giſſent, ſed memorabili clade
ſternit, ut plerisque in acie
cæſis Dux cum paucis equiti-
bus fugam tenuerit, Mansfel-
dius victorem Tillium pro-
vinciæ frequentibus paludi-
bus æſtuariisq; impeditæ põ-
tibus omnibus & aditibus
& abruptis fruſtratus eſt, ſed
Provinciales tandem ipſi ca-
ptis armis, quà vi, quà pactis
conditionibus illum exege-
runt. Cum Gaborius diversâ
è parte ingens ex improviſo
bellum in Vngaria concitaſ-
ſet, Turcicisque auxiliis ad-
iunctis deleto ad internecio-
nem Cæſaris exercitu quem
Montenerius ducebat, iam in

Moravia pedem vixiſſet, novis Cæſaris copiis adventantibus ſuisq; dilabentibus cum in prædarum antea impune actarum vicem iam vera belli pericula ſuccederent, pacem componit tempori inſerviēs, quod illi ſolenne erat, effeceratq; ut licet intelligerentur artes, tamen vindicari non poſſent Turcarum metu, quos turbatis inducere rebus Germaniæ non intererat.

## An. M. DC. XXIV.

TIllius cum ſubactas, quæque illis proximæ provincias, interque illas Haſſiam victoris militis ſtativis contineret, Wilhelmus Landgraviꝰ agnato ſuo Ludovico Darmſtadenſi controverſæ hære-

dita-

ditatis iure condemnatus, Marpurgenſem cum urbe agrum reſtituere cogitur, cum paulo ante Marchio Durlacenſis agnatis ſuis Badenſibus Eduardi Filiis paterna bona, quorum ſucceſſione, eos, ut materno genere impares arcebat, pari iudicio victus rēddidiſſet. Tillio armorum oſtentatione ſentētiam exequente, tantum ab armato hoſte otii erat, vt poſt ſexennes belli calamitates, Germania iam non ad immaturam pacem adſpiraret, ſi aut victi quieſcere, aut victores armis parta, aliter quam armis retinere potuiſſent. Mansfeldius Phriſiâ expulſus, cum venalem malis alienis operam fruſtra ali-

quam diu & apud Batavos & Gallos circumtuliſſet, non defuit tamen quærenti bellum, qui idem quærens reciperet: Magnæ Britanniæ Rex qui quietis ad id tempus cõſiliis, placitam ab initio novi & adventitii Regni adminiſtrationẽ nullis temere bellis miſcere conſtituiſſet, fractus generi nepotumq́; exilio, armis eos reſtituere deliberabat, quibus adhuc fruſtra apud Cæſarem deprecando ſe opitulatum eſſe putabat, cum magis ipſe gener deprecandus eſſet, ut poſitâ tandem iniuſtè, præterquam quod & infauſtè appetiti Regii nominis contumacia errorem ſuum, beneficiiq́ue potentiam in Cæſare agnoſceret,

ſceret, deſineretque velle quæ feciſſet, pro æquo & iuſto, quæ nomina victoris ſunt, videri feciſſe. De bello ergo agitanti gratus Mansfeldii comitisque eius Brunſuicenſis pari ſidere afflati adventus fuit, & iam in reliquis quoque Chriſtiani orbis partibus, novorũ ingens bellorum moles ſtruebatur, fœdere inter Galliæ, Daniæ, Angliæque Reges. & Venetos, Hollandos, Ducemque Sabaudiæ & Rhætos, contracto. Iunxerat eos præter privatas cuiusque cauſas commune potentiæ Auſtriacæ odium, quam ut altius ſuſpectarent, umbrâ quoque ſuâ ad incrementum invidiæ elevabant, adiiciendo quæ

illa nec haberet, affingendoque, quæ nec concupiſceret. Gallos armabat ſolenne Imperii arcanum, ut veterem æmulum non propriis ſolum, ſed iam aliorum quoque odiis maturũ cum quam plurimis hoſtibus colliderent. Anglum generi miſerebat, Danum affinis, & in tanto rerum motu quieſcere haud Regium videbatur. Venetos Vallis tellina premebat, Alpesque inviſis ſibi clientelis clauſæ, & erepta externa bella emendi facultas bello recuperanda videbatur. Ollandos grave Palatinæ ſtirpis exulantis hoſpitium, à quâ prima eorum libertas tam liberaliter culta, reddendi vicem beneficii poſce-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0045-6

ſcebat Sabaudus volebat videri Genuenſes Hiſpanorũ nomine odiſſe, cum odiſſet ſuo gentem pecuniis opulentam, & odii mercedem inopi eidem at ferrum habenti è propinquo oſtentantem. Rhæti pro ſervitute ſuâ interpretabantur reſtitutam Valletelliniis libertatem, itaque primus apud eos belli impetus erupit, iunctiſque Coeverio duce Gallicis auxiliis, opertas iam nivibus Alpes ruinæ inſtar in defectores quondam ſuos provoluerunt, nec apud infenſos valuit Pontificii ſequeſtri quo vallis iam à tribus annis tenebatur, reverentia, & quod militem depoſiti præſidem non occiderint ultro

imputavere. Iamque valle totâ potiti ſummam deſtinati ſibi belli non ingloriè perfecerant, niſi ad unum Lary lacus angulum, Rivæ nomen eſt, irrito conatu hæſiſſent, cauponamq; ignobilem (ea loco nomen dabat, ſed tum in legitimi formam præſidii Hiſpani emunierant, loca quoque propinqua opere complexi) magnis cladibus nequicquam oppugnando inexpugnabilium arcium famæ æquaſſent.

## An. M. DC. XXV.

INſignis inſignium morte virorum annus fuit, Iacobi M. Britanniæ Regis, Carolo filio ſucceſſore. Mauritii Naſſovici qui alter Belgicæ liberta-

bertatis Camillus, cuius pater
primus vindex fuerat, poten-
tię hęredem reliquit fratrem
Fridericum, gloriæ vivo fra-
tre moderatæ, extincto haud
imparem, hos ſecutus Ioachi-
mus Brandenburgicus, Dux
olim Vnionis Proteſtantium,
dignus eo imperio, niſi im-
peraſſet, & Carolus Auſtria-
cus Imp. frater in medio ho-
norum, ad quos in Hiſpaniam
evocatus fuerat, curſu abre-
ptus Leopoldo, alteri fratri
cauſam dedit, quò ſuccęſſio
Auſtriaca pluribus munimē-
tis inſiſteret, abdicato cœliba-
tu, nuptias cum Claudiâ Medi-
cęâ M. Ducis Hetruriæ amitâ
cōtrahendi. Ferdinandus Cæſ.
maior natu Filius Hungarici
Regni Succeſſor declaratur,

& ex Auſtriâ Lutheranç Re-
ligionis præcones proſcribũ-
tur, victoriarũ fiduciâ id Cæ-
ſare Proteſtantibus facere vi-
ſo, cum faceret illorum ipſo-
rũ exemplo, qui Religionem
& ditionem iuxta æſtimant,
ſed in ſe ius, in aliis licentiam
vocant. In Italiâ Sabaudus
auctus Gallicis copiis Duce
Aldigherio viro ſibi & in
contrariis, & in eiſdem caſtris
ſemper cum admiratione vir-
tutis cognito, cum Genuen-
ſes belli inexpertos eoque fe-
rociores inſignibus cladibus
affectos, parte meliori territo-
rii exuiſſet, & vrbem ſubitâ
trepidatione pæne apertam
intercepiſſet, in tempore con-
fluentibus eò Hiſpanicis auxi-
liis, & hinc à tergo premen-

tibus,

tibus, cum uſum quoque victoriæ aut commeatuum inopia, aut diſcors ei opitulator corrupiſſet, dedit hoſtibus facultatē amiſſa eadem facilitate recuperandi, cum gens illa tum demum poſtquam victa eſt ſeſe, opesq́ue ſuas recte intelligeret, & adverſæ fortunæ admonitu ſedem Reip. ita permuniret, ut ſupra vetera orbis oracula maria & montes inædificando, & illic urbis ſpatia prolatando, non exiguam Apennini partem mænium pomæriíque ſui partem faceret, & Naturam hinc apertis fluctibus, illinc rupibus periculosè imminentibus, antea minitantem, jam libertati ſuæ quaſi iniectis compedi-

pedibus ultro ſervire coge-
ret, Hiſpani florentiſſimis è
Germaniâ ſupplementis ad
veteres Inſubriæ copias ad-
ditis cum Ducis Feriæ ductu
magnis in Sabaudum appa-
ratibus moviſſent, Veruâ non
digni nominis urbe fruſtra
per totam æſtatem obſeſsâ
demonſtrarunt tanti eſſe ex-
ercitum quanti ducem; &
multum intereſſe armane in-
feras, an illata defendas, nam
Sabaudo quod tam formi-
dandæ belli moli exiguis ipſe
copiis par fuit ad affectam
Genuenſi bello veterem
gloriam recuperandam,
uti & Papenhemio ad novæ
incrementum ſuffecit Rivæ
obſcurus, ut memoravi, lo-
cus contra multiplices ho-

ſtes, Rhætos, Gallos, Venetos non magno militum numero egregie defenſus. Anglis Hiſpaniam claſſe invadentibus idem, qui cæteris aliena oppugnantibus, hoc anno proventus fuit, nam excenſione Gadibus factâ multis amiſſis ad naves redacti cæptum infeliciter bellum in Piraticam, quod cum hominibus non cum hoſtibus bellum eſt verterunt. Indidem Mansfeldius ſocio Brunſuicenſi traiectis in Belgum Anglicis delectibus Coloniēſem Diœceſem, & proximas regiones depopulando novis Tillium tumultibus excitat, qui in diverſam ſuſpecti à Dano belli partem intentus, Anholdium ei opponit:

ponit. Inter quos, cum variis belli aſtibus invicem eluderent, nullo momento extracta æſtas Palatino ſpem ſua Anglicis auxiliis recuperandi irritam fecit, cum Ollandos quoque ne maius in eis momentum foret Spinola diſtineret Bredâ validâ urbe ab integri pœne anni ſpatio apparatiſſimâ obſidione potitus, magnâ nominis gloriâ, quæ tamen argueret illum eis belli artibus præſtitiſſe, quibus ad integræ victoriæ emolumentum unius hominis ætas non ſufficiat, Gallus ut externis bellis otioſe frueretur, Religionem belli cauſis exemit, & Hugonottis rebellibus pacem dedit, Rex Daniæ Saxonici Cir-

culi inferioris Dux per fa-
ctionem creatus, diſſidente
Georgio Lunenburgico, &
Cæſarias partes in juſti mi-
litis formam amplexo (ve-
rebatur agnati ſui Vdalrici
Brunſuicenſis, cuius ipſe in-
ter proximos hæredes eſſet,
orbitati Regem imminere)
tantum Cæſari ſollicitudi-
nis injecerat, ut veteres ex-
ercitus tot hoſtibus neuti-
quam pares judicaret, &
VValſteinium novis delecti-
bus præficeret, hominem
paulo poſt in inuſitatum for-
tunæ exemplum iturum quæ
tamen ad extremum eius te-
meritati, quæ ei pro ſapien-
tia fuit, non ſuffecit. Hic co-
acto ad ſigna valido Legio-
num numero Halberſtadi-
enſem

enſem & Magdeburgenſem Diœceſes, ut Albim fluvium in poteſtate haberet, præſidiis firmat, alterâ ex parte Tillio Viſurgim Hüxterio oppido & propinquis locis occupatis inſidente. Rex in Brunſuicenſi agro ſubſtiterat, itaque in tantâ propinquitate brevis committendi belli mora fuit, minutis primum præliis expertâ re, inde à Tillio Hamela ac Mynda valida ad Viſurgim occupatæ urbes: Sed ad Nienburgum non idem eventus reſpondit, nam cum clade inde repulſus occiſo tamen Obentrautio & Friderico Saxone Altenburgenſi ſtrenuis hoſtium ducibus extra ſummæ rerum detrimentum fuit.

Matura iam hyems utramque partem à gerendo ad apparandum bellum revocavit.

## An. M. DC. XXVI.

MAnsfeldius in Bremenſium finibus refectis per hyemem viribus munitiſſimum Albis Deſſavienſem pontem ut Cæſarianos fluminis uſu privaret, adortus, magnam exercitus partem Walſtenio à tergo invadente amittit. Non tamen vel toties victo miles defuit, quem raptim in Sileſiam, Moraviam, & ad ipſos Vngariæ fines more ſuo populabundus ducit, Erneſto Vinmarienſi comite, quem propriæ copiæ ſequebantur ſpe

novi belli vel per tumeſcentes adhuc ibi Rebellium reliquias vel per Gaborium, vel Turcas ipſos concitandi. Sed VValſtenius rebellionem nondum adultam, in tempore adveniens, compeſcuit, Gaborius ita laudabat bellum, ut pacis tamen eum non pœniteret, Turcis magnâ à Perſis hoc anno clade affectis ad externa molienda nil domi otii ſupererat, itaque ad artes ſuas redactus Mansfeldius quum bellatoris nomen implere non poſſet, populator eſſe perſeverans fœdis cladibus Sileſiam Moraviamq́ue devaſtat, ſed à VValſtenio totâ exactus Germaniâ ad Turcas profugus, ibique peſte extinctus

ne Chriſtianorum quidem manibus nedum lacrimis compoſitus eſt, cum illis exemplis, quorum contagio victores pariter ac victos poſtea invaſit, nunc etiam lacrimabilem patriæ ſtatum fecerit Chriſtiano Brunſuicenſi hic idem annus extremus fuit, quem pulſus Northemii obſidione Tillii copiis haud inglorie auſpicatus fuerat, ſed à fratre Vdalrico ad capeſſendam patriam hæreditatem avocatus, mox decedens incertum reliquit an ſi patrimonii jam ſui compos diutius vixiſſet, injuriæ potentiam vel in ipſo Avunculo Daniæ Rege, qui potiorem Brunſuicenſis Ducatus partem, ipſamque penatium ſedem

ſedem VVolfenbuttelian præſidiis obtinebat, laturus fuiſſet. Tillius interea veterano exercitui ſuo fidens Danum fruſtra ad rem uno prælio decernendam provocans operam dabat ſi quo pacto ad urbium expugnationem circumferendo bellum Regi cunctationis ſuæ tædium injiceret. Ergo Oſnabruggenſem cum Epiſcopatu civitatem paulò ante à Rege ſubactam per Anholdium armis recipit, Mundam in confinio Haſſiæ munitam urbem ductu Ludovici Fûrſtenbergii internecione cœſo Regio præſidio expugnat, quo terrore Gottingæ urbis omniũ rerum proviſu inſtructæ maturata deditio, & Calẽberga

arx idem pacta, cum eximias Danici equitat9 turmas obſeſſis opitulaturas idem Fûrſtenbergius antea profligaſſet, inde Northemiū iterum à Tillio circum vallatum; hæc tandem Regem obſidio cautis illis, quibus ad eam diem uſus fuerat, cōſiliis evolvit, itaque totis viribus ſubſidio profectus urbem quidem obſidione exemit, ſed cum ſe in ditionis Moguntinæ agrum Eisfeldenſem longius effudiſſet, præbuit Tillio id quod quærebat, ut receptu intercluſo neceſſario illi prælio experiundum foret: triduo toto perpetuis in agmine aſſultibus laceſſitus hoſtis ad Luteram tandem vicum Tillio in manib9 fuit, ibi

ibi memorabili pugna victus Rex caſtris impedimentisque omnibus & peditatu pœne univerſo amiſſo cum delectis equitũ effugit. Tum maior Saxoniæ Inferioris pars Bremâ tenus in victoris fidem venit, Haſſię Landgravius adactus, quod adhuc conſtanter recuſaverat, ut eosdem, quos Cæſar haberet, habiturum ſe hoſtes profiteretur. Cum hic locorum inter milites & non indigna belli nomina Mars arma exerceret, in Auſtriâ ſuperiori Ruſtici repentino quodam furore perciti auſi ſunt & niſi præſentibus rerum motibus ſeſe inſerere, & libertatem credendi, mox & parendi armis quærere. Nam

ſe à Bavaro, cui exolvendis belli ſumtibus ad tempus dedita Regio erat, tam adſtricte regi ut proprios, tributis exhauriri ut alienos querebantur. Res autem pro hominum ingenio non belli inſtar, ſed barbaria fuit devaſtandis incendendisque villis, arcibus & Monaſteriis expilandis deſæviens, nec ſemel tamen fugati ab illis cæſique Cæſarii Bavariciq; delectus, donec pudorem militiæ Papenhemius vindicavit, iuſtis eos armis aggreſſus amuletis quibusdam (quæ ipſa nunc dehoneſtamenta militiæ eſſe cœperunt) tanquam vulneribus non pervii, confiſos, ſed triplici in eos & nullâ non funeſtiſſimâ

mâ clade opus fuit, ut domitos cæptorum tæderet, nondum ut pœniteret; multi etiam ex nobilitate factioni huic faviſſe crediti, nec ultra quæſitum, ne pæna conſpectior illuſtraret culpam facile in exemplum ituram. Hoc eodem anno pace Monzonenſi inter Gallos Hiſpanosque compoſitæ Italiæ turbæ, & libertas Valletelinis imaginario Rhętis Magiſtratuum confirmandorum iure relicto, perpetuata. Suſpectum Gallo domi bellum à Rohanenſi Hugonotarum duce & aperta cum Anglo affine ſimultas erat, quod uxorem ſororem ſuam arctiori Religionis uſu haberet, quam ab initio conveniſſet,

itaque ad res ſibi propiores intentus, quippe & in caput ſuum conflatas domeſticas inſidias ab ipſo veſtiariæ rei præfecto eodem tempore detexerat, cætera pacata, ſolos Germanos gratuitis furoribus ſuis immerſos reliquit.

## An. M. DC. XXVII.

ERneſtus Vinmarienſis in Sileſia fatis concedit, magni vir animi, & res novas iure quodam ſuo uſurpare viſus, cum ereptum familiæ ſeptemvirale faſtigiũ ægrum animi angeret, nec cum ſpe votoque avita recuperandi tranſigitur, niſi aut repetere amiſſa, aut reſarcire liceat; partem eius exercitus quam

Carpenzanius ducebat, VValſteinius deditam ſibi dimittit, in reliquos Baudiſio duce tuto paſſim Brandenburgico agro effuſos Peckmannum immittit, à quo prope Krenzinium aciem ſtruere auſi internecione delentur, Baudiſio tamen ſuperſtite, cum alterius capite victoria ſtetiſſet. Danus interea Anglicis Morganio ductore & multis è Gallia voluntariis auctus delectibus cum Nienburgum ad longioris obſidionis vim illato iterum commeatu firmaſſet, inter Albim & Viſurgim fluvios, quem utrumque extructis quâ res monebat munitionibus hoſti ſe clauſiſſe rebatur, ita conſedit, ut ad vim bel-

belli prohibendum locum maxime idoneum delegiſſe videretur, Lunæburgicum ſubinde Ducatum emiſſis cohortibus fœde devaſtans. Accenſus illis iniuriis Dux Georgius maturavit reddere quam arcere non poſſet cladem, & Albi ex improviſo traiecto Havelbergam urbem à Regiis deſertam occupat, cum illis templum urbi appoſitum quod arcis inſtar ſitu manuque munitum eminebat, conſervare ſatis eſſet, ſed mox Tillius ipſe, cui ſuperaſſe flumen pro victoriâ fuit, acrior incumbens primùm eo ipſo loco, deinceps reliquis quas Rex Albi inædificarat munitionibus potitus fluvium totum Hambur-

burgo tenus ſuæ fecit poteſtatis, cum alterâ ex parte ad Viſurgim eundem Anholdio ſucceſſum fortunâ ſuâ præberet, & torrentis in morem omnia obrueret. At Rex nuſquam propè congredi auſus, alterum inſuper hoſtem duplicatâ belli mole & partæ jam victoriæ infeſtius ingruentem Walſteinium habuit ingentem exercituum agmina ex Auſtriacis, quas victor pacarat, Provinciis unâ trahentem, cui in ipſo adventu obvius Marchio Durlacenſis Equitum Regis præfectus ſtratis à Schlikio occidione copiis quas ducebat Olſatiam ſine reliquo certamine patefecit, inde in Iutlandiam transgreſſo novi militum de-

lectus à Carolo Lauenburgico conſcripti victoriæ appendix & exercitus ſupplementum fuerũt. Tillius participatâ cum VValſteinio gloriâ tanto ſuam auctiorem reddidit, quanto amplius eſt bella vincere quam triumphare, & debellatis hoſtibus non demum & invidiæ ſuccumbere, & Danus ambobus ducibus ſuffecit, cum alter quâ Viſurgis, alter quâ Albis fluit immenſis exercitibus inundarent illum extremum Germaniæ angulum, qui exiguo freto à reliquâ Daniâ dirimitur, quo ſine tamen & victorum impetus, & fuga Regis ſtetit, ciſmarinis omnibus Provinciis hoſti permiſſis Stadio, Crem-

penâ & Gluchſtadio tribus validis urbibus exceptis. Injecta & in medio armorum ardore pacis mentio, ſed à Rege, qui nondum ſe victi menſurâ æſtimaret, ne auditæ quidem in eam imaginem nuncupatæ leges, magno animo, cum hoſti victoriam non poſſet, deſperationem negando. Reliquę erant in victâ Germaniâ urbes Nienburgum, Northemium, & VVolfenbuttelia. quæ poſſeſſionem victoriæ interpellarent. ſed non diutius quam hanc Papenhemius obſtructo qui eam interfluit fluviū alueo aquarum periculo coegit nec quidquam conſervatæ contra ferrum igneſq; libertatis iacturam facere.

Fur-

Fürſtenbergius Northemio expugnando delectus dum à præſidio deditioni parato nullas niſi ſui arbitrii conditiones admittit bis vi ab oppugnandis mœnibus repulſus, cum illi intus nullam jam niſi in deſperatione ſpem haberent, coactus eſt ea concedere, quæ prius negando, pariter & ſibi negavit maturæ & incorruptæ victoriæ, & quale Anholdio obvenit Nienburgo pactis recepto plenum & egregium ſine periculo decus. In Auſtria & Bohemia inaugurato in Regni ſucceſſionem Ferdinando Cæſaris filio (cum nemo jam quæreret ſanguine id juris deberetur an Electioni) repetitis Edictis Proteſtan-

tium Religio proſcribitur dato annuo ſpatio ad convaſandum deliberandumve qui ſanctionibus teneri nollet. Mülhuſiæ Electores conſilia conferunt; qua ratione res Imperii ordinandæ, Pax componenda; ac ſi obtineri nequeat; ſumtus bello ſuppeditari poſſent: nullius earum rerum perficiendæ tempus erat, itaque quod conſilio explicari non poſſet, ſorti permiſſum: eodem advenerat legatus Gallicus qui ad pacem hortaretur: honeſta oratio, ſi aut tempus, aut auctor alius aut alii quibus ſuaderetur adfuiſſent; tunc res accepta intellectaque magis ut erat, quam ut diceretur. Colmariæ quoque permiſſu Cæſa-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0071-0

Cæſaris per Lotharingi & VVirtenbergici Ducum Legatos de Palatini reſtitutione, ſed irrito effectu actum, cum hinc appareret pacem peti potius quam accipi, iſtinc excuſatum eſſet eandem offerre magis quam dare. In Belgio, abſente Spinula, Grollam munitam urbem Ollandi expugnant, quam ſervari potuiſſe fama fuit, niſi exorto, cum ſubſidio iretur, inter Italos Hiſpanosque utri nationi priores vincendi partes competerent, diſſidio id ipſum de quo intempeſtiva erat inter amicos diſceptatio hoſtibus ſine controverſia conceſſum fuiſſet. Duxerant eodem tempore, foſſam novam è Mosâ

in Rhenum Hiſpani, ut in-
terpellandæ navigationi a-
quam quoque ſi poſſent ho-
ſti eriperent, acri, ut omnia
eiuſmodi, initio, fine lan-
guido, ad poſtremum & irri-
to, cum nec ſpes emolumen-
ti par ſumtibus & iuſtis ex-
ercitibus opus, quod hoſtes
nunquam turbare intermit-
terent, protegendum eſſet.
Inter Gallos Angloſque re-
cens ſimultas vetera Natio-
num odia & factioſorum
in Gallia hominum ſtudia
confeſtim ad arma impulit:
Angli cum Rupellenſes aut
ipſorum, aut illi Rupellen-
ſium partium eſſent, claſſe
miſsâ Rhedenſem Inſulam
invadunt; non cunctatus
eſt, Rex ipſe interno ex-

terno-

ternoque hoſte imminente in expeditionem ire, ergo Inſula in ore Regis magnâ Anglis clade expulſis Torraſii virtute recuperata, & exemplum reliquis; ſi imitari velint, Principibus præbitum, quanto ad Imperii cuſtodiam tutius ſit, ſi qui rebus regendis præſunt, iisdem & gerendis adſint potius, quam ut aliorum ductui commiſſis armis ipſi otioſis domi votis ſuam alienamque fortunam inter ſpem metumque anxiè verſent; & proſpera ut aliena, adverſa ut ſua expectent.

## An. M.DC.XXVIII.

TIllius Stadium prope Albis oſtia munitiſſimum oppi-

oppidum expugnat, quod Morganius defendebat vetus miles, & animi robore in omne experimentum fortunæ ſuffecturus; ſed fames abſtulit virtutis uſum, & Tillium poſt longam obſidionem multis partæ laboribus victoriæ compotem fecit, ſecuta idem exemplũ Crempena, ſola Gluchſtadium (Fanum Fortunæ latinè appelles) ab hoc ipſo Rege cõdita urbs ſpem ominis in quod ædificata fuerat, conditori ſuo affirmavit, diutiſſimâ obſidione feliciter fruſtratis defuncta hoſtibus. Interea VVallenſtenius rerum ſucceſſu felicitateque ſua ebrius, omnes Fortunæ frænos effudit, ut cum omnia

haberet, nihil eſſet quin con-
cupiſceret. Iam Dictatorem
ſe Imperii etſi nomine non
ferret re oſtendebat, nullo
Cæſaris mandato, ſed cer-
tus non prohibiturum per-
miſſione pro imperio uſus
eſt: tum ille univerſa in
ſe trahere, omnes exercitus
ſuæ poteſtatis facere, re-
lictis Tillio aut ſterilis belli
reliquiis, aut uno ad hyber-
nandum Phryſiæ angulo, in
quo (licet vicinis Ollandis
non incuſtoditus) gloriæ ſuæ
inſeneſcebat, omnia novæ
hominis felicitati inclinata
cernens, cui ſoli conceſſum
tantarum victoriarum emo-
lumentis incubare. Legio-
num tantum ſub ſignis erat
quæ armatæ toti Germaniæ
pares

pares eſſe poſſent; non ſatis id viſum, novæ conſcribuntur, & tum primum multiplicari cæptus ille Tribunorum, Centurionum, & ordinibus ducendis præpoſitorum numerus (quo poſtea nunquam laborari deſitum) ut ex ſolis Ducibus iuſtæ legiones effici poſſent; & ne deeſſet unde alerentur, haſtæ addicta & publicata in ſtipendii ſolutionem univerſa Germania, victores victique, ſocii atque hoſtes, eâ lege ut miles ſuo arbitrio ſumeret, pòſt raperet, denique extorqueret. Satis gratuitæ licentiæ in militibus per ſe ipſis eſt, tunc præmiorum ad libidinem uſurpantis permiſſa rapina nihil quod lucri ſpe-

ciem haberet, illicitum fecit, Ducesque ipſi ac præpoſiti, qui coërcere debuerant, exemplo præibant, eo habitu cultuque vitæ, qui iuſti nominis Principes magnitudine luxus ad inopiam redigeret, & tamen cum tam effuſe prodigerent, habere inſuper & poſſidere, nec ſolum divites eſſe, ſed manere volebant. Cum ergo tributorum, exactionumque & lucri opima ipſi priores deſæcarent, militi id ſolum relinquebant quod vi exprimendum eſſet: hinc Provinciarum vita ipſa ſtipendio aſſignari cæpta, ut novorum cruciatuum ingeniis in quæſtum verſis ſævitia militis auro redimenda eſſet: Hinc
quo-

quotidie novi ſinus & nova prædandi vocabula, inſigne militiæ ſpecimen, cum Commiſſarii qui fata, fortunas, vitasque omnium in manu habebant, & jure ſuo tam militem quam Provinciales depeculabantur adverſus utrosque odio publico tuti, licentiæ autoritatem darent, Cæſaris ſervitium, patriæ utilitatem, & cōmune bonum vocando quod commune & permiſſum latrocinium erat. His VValſtenii artibus initiatus hic annus (utinam exempla non ultra faſtos iviſſent) ut conſtaret illum aut Cæſari, aut ſibi Imperium eiuſmodi quæſiviſſe, quo pluribus urbibus quam hominibus imperaretur. Hæc

unquam in Germania videri quis non pro miraculo habuiſſet? nunc trium fere luſtrorum ſpatio tolerari talia extra miraculum, propiusque miraculo eſt hæc unquam deſitura ſperare. Non deſinebat inter hæc Rex Daniæ terra marique reparare bellum, maritimis viribus fidentius, quia nulla hoſti eiusmodi copia. Rugiam Inſulam magnis copiis Cæſariani obtinebant, his ne evagari poſſent, claſſe undique circumdatâ in Pomeraniam tranſmiſit, illapſusque Oderæ fluvii oſtio Wolgaſtum expugnat. Viſus in continenſi hoſtis ſtatim excivit VValſtenium, qui magna inde clade expulſum Regem



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0080-0

ad naves redigit, id ei ultimum eius belli operum fuit, domumque regreſſus ſatis habuit Stralſundienſes ſubmiſſis auxiliis ſuſtētare, ne hoſtium præſidium, quod ut reliquis Balthici littoris urbibus ſumma vi imponere Walſtenius contendebat, recipere cogerentur, pertæſus bellum quod pecuniæ ad ordinata ſtipendia exſolvenda defectu non ſuis artibus gerere poſſet, expertus labente inde diſciplinâ militari ſimultates inſuper inter ſuos duces ex tam variis nationibus, quarum una alteram æmulatione laudis impediat, mixtos extitiſſe, & cum penes ſe nec pœnæ expoſcendæ, nec mercedis dependen-

dæ facultas eſſet, rerum regimen jam non ſuo, ſed cujusvis ingenio permitti debuiſſe: His ergo vitiis in propinquam perniciem ituris hoſtes potius relinquere, ipſe eis honeſta ſi poſſet pace abſolvi, maturabat, ſumto ad eam componendam interprete Schaumburgio vigiliarum ſummo apud Cæſarianos Præfecto, quem Gluchſtadienſes præſidiarii improviſa eruptione oppreſſum interceperant certus uti ſe bello, ita adverſarios victoriâ perituros. At conceſſam VValſtenius lubricam felicitatem, quo maturius procideret, onerare inſuper affectando maris imperio, & ut navium copia eſſet, appel-

lare de fœdere Hanſeaticas civitates ſpe obiecta ſolas illas commutandarum ex Hiſpaniâ mercium, & brevi omnis maritimæ negotiationis arbitras fore, ſed illæ ſalubri temperamento perpetuam maiorum conſuetudinem excuſarunt, ut omnium æque hominum amici, nullius unius cum exceptione reliquorum ſocii eſſent. Eâ ſpe deiectus ipſemet naves novas ædificare parabat, opus longum, & tædio temporis omiſſum non aſſueto exſpectare quæ concupiſceret; effectus tamen octo navium numerus, ſatisque id viſum ad occupandum novi imperii titulum, ut maris Balthici Architalaſſus audiret. Freto

Danico, quo brevis ex Rugiâ Inſulâ traiectus, omnes qui eo utuntur populi Angli, Sueci, Batavi illum imminere credebant, actum ergo ut illud tot gentium clauſtrum occupanti pro compede futurum communi ope defenderetur cauto magis quam neceſſario conſilio, nam una urbs Stralſundia repetitis ab eo acerrimis oppugnationibus magnâ cum iacturâ exercitus necquidquam tentata, cum mari libero à Suetiæ Rege cuius clientelæ ſe poſtea dedidit, ſubſidia reciperet, avertit retinuitque ſuſpectæ felicitatis curſum, odii tamen cauſis in immenſum procedentibus maxime quod iam ex Fridlandiæ Duce Me-
gapo-

gapolitanus Dux evaſerat, pręcipua ſuper cætera omnia invidiâ, cum priores Duces quaſi hoſtilium conſiliorum participes Maieſtatis accuſati vix inter reos, & iam inter damnatos fuiſſent. Extare iam illa in Palatino prætentata exempla; hunc Saxoniæ in Inferiori cuſtodem addi à quo victa & ſervire diſceret; quod nunc actum ut non inter prima ita nec inter ultima fore fremebant vulgò omnes quos periculis ſuis effingendis anxios reddiderat odium, metus & ubi vires ſuas æſtimabant, ſecuritas. Iidem tamen Chriſtianum Brandenburgicum Magdenburgenſem Adminiſtratorem eadem lege condemnatum diverſo

affe-

affectu & ultro geſtientes tu-
lêre, cum Cæſar ac Saxo ſuc-
ceſſionem Epiſcopatus pro
filio uterque ſuo contentiſ-
ſimis ſtudiis ad ſe traheret,
ut tandem Saxo ſuper ſtati-
vorum militarium, à quibus
ne ipſe quidem immunis, in-
ſolens onus Religionis pro-
priæque jam immixtæ utili-
tatis reſpectu eosdem me-
tus, eademque ſecum diſcri-
mina capeſſeret. Multam
ſermonibus materiam præ-
buerunt frequentia quæ in
urbibus Imperii edicta pe-
penderunt, quibus Religio-
nis uſus ad præſcriptum le-
gis eâ de re conditæ ſeverius
exigi cæptus, quam æquum
videretur eis, qui omnia
quocunque modo tolerata
pro

pro immutabili iure obſervari volebant: Maior vero & ſuo cuique periculo æſtimando propior inde data, quod paſſim lege Majeſtatis eorum bona publicabantur, qui ſuperiorum temporum rebellibus conſociaſſe conſilia inſimulabantur. Per multa non obſcuri nominis capita pervagata hæc quæſtio rem invidioſam ad omnes fecerat, quod bona vacua non illis qui iure proximi, ſed hominibus ab aulâ Cæſaris immiſſis traderentur, acerrimo horum criminum quæſitore Rudolpho ab Oſſa Commiſſario, quem nuper Comitum Hanauenſium rerum familiarium curatorem ipſi nunc domini dominisque ſimiles

metuere cogebantur. Gemebat ad hæc Germania univerſa ſub intolerabili exactionum militarium onere & bello profligato perpetuata belli mala concivere querelas tàm Catholicor. quàm Proteſtantium, ablegati quidem ab aulâ Cæſaris ſpecie quæſitorum qui in militum ſcelera animadverterent, exauctoratæ aliquot legiones, ſed parum inde levamenti, & ſeu voluntas, ſeu facultas incertum, remedium certe ipſum citra effectum fuit, & quamvis regereretur ipſarum Auſtriacarum Provinciarum exemplum, quæ immenſa hoc anno Cæſari tributa dependerunt, tanto magis patebat terrebatque ma-

gnæ neceſſitatis hiatus, cum quantum daretur undique quorum inſumeretur, nuſquam appareret. Hoc rerum animorumque in Germania habitu funeſtum in Italiâ exarſit bellum Vincentio Mantuæ & Montisferrati Duce ſine liberis mortuo, cum proximus ex agnatis hæres Carolus Nivernienſis in Galliâ natus inviſus Hiſpanis accola futurus aditâ inconſulto Cæſare tanquam ſupremo domino hæreditate cauſam dediſſet eandem armis controvertendi. Nihil hoc bello ad ferendos rumores fæcundius, nec perinde dijudicari poteſt quid rectum factu fuerit, quam peſſimum fuiſſe

quod

quod factum eſt Germaniæ intererat aut ſemper aut nunquam id bellum omiſſum fuiſſe. Hiſpani mandato Cæſaris (ſeu idem quod Walenſteinius permiſſionem pro imperio uſurparunt) Monſerratum ſequeſtro poſſeſſuri Caſale primarium oppidum ſpe proditionis armis invadunt, eâque detecta in juſtæ modum obſidionis oppugnant, magnâ adverſæ invidiæ famâ cum metus ex novo accola ideo fictus crederetur, ut eo magis hoc ipsũ concupiſcerent: ſed illis ibi res erant, ut aut Sabaudus cum Gallis ſimul, aut Nivernienſis, aut uterque hoſtis habendus eſſet, fatum haud dubie Italiæ ut novis motibus

bus perturbaretur, ſed Hiſpanis imputatũ, quod Gallorum timore, Gallis irritatis, cum utrumque non poſſent, Sabaudum amicum, Nivernienſem hoſtem feciſſent. Hic idem annus longâ & pœne in integri ſpacium anni extractâ Rupellæ Vrbis obſidione Regem Galliar. abſolvit, tot ibi exhauſtis laboribus operibusque emolitis, quæ binæ Anglorum claſſes ſubſidio adventantes fruſtra perrumpere conatæ, ut nunc quoque re tam recenti Annalium fides laboret, ſed tranſegit denique victor Rex cum belli inteſtini longis expeditionibus, impoſuitque tot annis, quibus urbs illa Reges ſuos aut terruit

ruit aut timuit, ſollicitæ curæ magnum hunc diem, ut deinceps Imperii ſui ſuo arbitrio potens exciſâ hac vomicâ neminem ſubditorum nec metuere nec amare cogatur. Paulo ante deditionem Buchimgamius Angliæ Seianus à gregario milite confoſſus reddidit eum quem Regiæ amicitiæ odio publicarat, inultus ſanguinem Rege nihil ultra percuſſoris ſupplicium inquirere auſo. Eodem tempore Ollādi claſſem Hiſpanicam, quę vectigale ex Indiis aurum advehebat, interceperunt, diu prædæ huic inſidiati, ſed hoc ſolo anno eis eventus reſpondit, maiori in privatos Indice Societatis aſſines, quam in rem publi-

cam

eam emolumento, quæ validius bonis conſiliis quam auro viget, eâdem Hiſpanis damni æſtimatione ſi præſentia & domi naſcitura malint agnoſcere & exercere quam longinquis & incertis niti, quæ mari, hoſtibus, fortunæ, tempori, aliisque caſibus expoſita benè conſulta ſæpe evertunt, plerumque deſtituunt, ſemper morantur.

## An. M. DC. XXIX.

LUbeccæ inter Cæſarem Daniæque Regem de pace per Legatos longis & acerrimis contentionibus diſceptatur, cum hi plus quam victores, illi minus quam pro victis ſe agnoſcerent. Rex ad repetenda arma ſpectabat, & jam

iam inſtructâ claſſe Olſatiæ oram invaſerat, bello igitur expreſſa pax in eas conditiones convenit, quas utraque pars novæ fortunæ experimento merito anteponeret. Suetiæ Rex perpetuis contra Polonos victoriis tum maxime florens, eodem ſuos quoque legatos miſerat, qui paci componendæ intereſſent: intellexêre Cæſariani quorſum ſeſe ille oſtentaret, itaque eos non admiſere, hoc ipſum, ut poſtea apparuit, volētes, ut Rex iam diu Germaniæ diſcordiis inſidiatus hanc acceptæ iniuriæ ſpeciem quam armis retorqueret, haberet, cum Stralſundienſes iterum à VValenſtenio oppugnati in iuſti formulam

mulam imperii ſacramentum jam ejus accepiſſent, & totâ vulgarentur Germaniâ epiſtolæ, quibus oppreſſę Religionis libertatisq́ue periclitantis patrocinium profitebatur, conſueto Regibus lenocinio, ut pro primo ſervitutis inſtrumento libertatem habeant. Sed re immaturâ inter ipſa bella bellum ei exſpectandum erat nondum defuncto rebus contra Polonos gerendis quibus iuſſu Cæſaris cum validis hoc ãno copiis ſubſidio profectus Arnhemius parum tamen eis ad ſummam rei momenti attulit, ex odio inter ſe & æmulatione Nationum, cum Germani ne ingratis vincerent, Poloni ne

invi-

inviſis beneficium deberent vanam feciſſent & latam & acceptam opem. Sub hæc Imperator rem diu agitatam, & in cuius exſpectationem univerſæ Germaniæ animi ſpe metuve erecti erant, de Bonis Eccleſiaſticis definire auſus publicâ ſanctione quidquid eorum contra Pacem Religionis occupatum eſſe appareret, reſtituendum edicit. Magnis ea motibus excepta promulgatio Catholicis ut ad diu ſperata tot victoriarum præmia immodicâ lætitiâ geſtientibus, Proteſtantibus contra, quorum vix ullus ab eorum bonorum contactu immunis, in univerſum non aliter quam ſe pro victis æſtimantibus, ſi promi-

ſcuè ab iis qui armis uſi fuiſſent quique abſtinuiſſent, jure victoriæ etiam inquietos, multos & amicos vulgato ca reddenda eſſent, quæ à maioribus accepta ſine ullâ legum ſollicitudine ac conſcientiâ pro ſuis ita poſſediſſent facilius ut ea à ſe auferri, quam repeti paterentur. Ergo commotis eodem tempore ſimul omnium patrimoniis cum rei familiaris trepidatio Religionis periculo inſuper augeretur abolitumque Auguſtæ Confeſſionis Auguſtanæ exercitum in reliquos omnes qui idem nomen profitebantur anxii ominis exemplum faceret, apparebat novorum ingentem diſcriminum molem ad res iam antea turba-

tas acceſſuram eoque magis quod arma Cæſaria ſubmiſſis hinc Polono, hinc Hiſpano in Italiam & Belgiũ ſubſidiis extra Germaniam peregrinantia nudato invicem metu audaciam aperuiſſent palam conquerendi, & ſummum ius pro ſummâ jam interpretandi injuriâ. Boſcoducum Brabantiæ urbem Ollandi finibus ſuis ita innexam, ut è propinquo exprobraret ſervitutem ſæpe ab eis fruſtra tentata, principio æſtatis tam arcte circumvallaverant, ut adverſus adventantes quoque hoſtes caſtris permunitis, Hiſpanis nullã niſi in diverſione ſpem reliquerint, cum auri inopiâ, quod amiſſæ nuper Indicæ claſ-

claſſis vulnus erat nihil tempore ſuo aut aggredi aut prohibere potuiſſent. Impetratis itaque à Cæſare robuſtiſſimis legionibus quas Montecucculus ducebat, Iſalâ fluvio improviſo traiecto in viſcera ſe effundunt Ollandiæ, Amorsfortio primò impetu capto iam terrorem ipſi inferentes Amſterdamio. In arcto haud dubiè Ollandis res erant, ſed ipſa hoſtium negligentia eos explicavit, quæ tanta fuit in præſidiariis Veſaliæ Hiſpanicæ urbis, in quam omnes ſuas opes totiusq; belli ſubſidia proficiſcentes ad Iſalam exercitus depoſuerant, ut illa omnia incuſtodita hoſti prodiderint, qui comper-

tâ ſocordiâ contracto ex proximis præſidiis una nocte idoneo numero urbe ſine ullo ſuorum vulnere potitus Hiſpanis repente ex tantâ gerendarum rerum ſpe neceſſitatem iniecit magis quà evaderent, quam quo progrederentur cõſultandi, Bonſcoducenſes vero deſperatis ſuppetiis ad deditionẽ coegit, magnâ Friderici Naſſovici gloriâ, cui hic unus annus ſimul patriis fraternisq; decoribus exequandis ſuffecit Cæſari præterquam quod ſua inter tot ſuſpecta diſcrimina neceſſariis præſidiis nudaſſet, ea lati auxilii merces fuit, ut præter jacturam validi exercitus novis ſe inimicitiis oneraret, ſed nihil

Hiſpa-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0100-3

Hiſpanis negari poterat, quod & in Italiâ patuit. Rex Galliæ renovatis cum Anglo fœderibus, cum excidio Rupellæ quæ odii pretium fuerat, odii quoque cauſa ceſſaſſet, indignum ratus Nivernienſem hoc uno nomine quod Gallus eſſet, Hiſpanicis armis opprimi, raptim in Italiam victrices ipſe copias duxit, & ſuperato Pennino jugo, Sabaudo profligato, Suſis ſubalpino oppido potitus, Alpes mediâ hyeme apertas, totamque Regni molem victor Italiæ immiſſurus credebatur, Sabaudo jam ad eas pacis conditiones quas ipſe impoſuerat, compulſo, Hiſpanis ne longæ irritæque Caſalenſi obſi-

dioni inſeneſcentes recentis victoriæ impetus deprehenderet, eandem ſummâ cum trepidatione ſolvere coactis. At Regi ſatis viſum in patefactam detonuiſſe Italiam, belloque jus clientis ſublevatione aſſeruiſſe, contra Hiſpanis intolerandum erat ſtare legibus ab hoſte datis, nulla vero niſi in Cæſare fiducia impetratu ergo illorum exercitus Cæſarius Collalto duce improviſo Rhæticas Alpes occupat, bellum utique in Italiam tranſiviſſurus, ſi idem Gallis animi eſſe perſeveraret: neutra gentium detrectavit arenam, quamquam comunis utriusque ſepultura Italia ſit. Tum Sabaudus eas quas, accepe-

rat Gallo conditiones renunciat, & Spinula ab Hiſpanis ſuffectus Cordubæ Mediolanenſi Præſidi, à quo bellum quia improſperè geſtum, conflatum dolebant, id ipſum tamen, quod damnabant proſequentes, Mõferratum denuò invadit, magnum haud dubiè ſecum nomen afferens, ſi expertæ in Belgio virtuti par in Italiâ fortuna reſpondiſſet. Germani cum tribus prope mẽſibus in ſumnis Alpium jugis pependiſſent exſpectati remoratique ab eis ipſis qui evocârant (tanta viciſſitudo eſt in hominibus, quos propriæ gloriæ anxia ſollicitudo nec quantum ipſi capiant, nec quid aliis concede-

re debeant diſcernere pati-
tur) tandem per Cremonen-
ſium fines torrentis inſtar in
Mantuanum agrum provol-
vuntur, omnibusq; eius præ-
ſidiis primo impetu potiti,
ita ut venerant viderantque
victo ubique hoſte, totum
bellum intra unius Mantuæ
urbis mœnia redigunt, ſed
illos proinde ut in Germaniâ
aſſueverant agentes cum
quod ſumere licebat, rape-
rent, commeatus ſtatim de-
fecit, iamque hyems quoque
ſupervenerat, itaque in hy-
berna deducti ſunt, quæ eis
& pro annona & pro ſtipen-
dio ſufficere juſſa. Hic idem
annus Gaborium humanis
rebus exemit, vt omnibus
vitæ actibus, ita ipſo ſupre-

mo

mo iudicio mirum variumque, qui inſigni legato in Ferdinandum Cæſaris filium collato, quam familiam vivens iniuriâ proſecutus eſt, in eius beneficium morte ſuâ vi voluit, ut nec pro hoſte nec pro amico defleretur.

## An. M. DC. XXX.

EDicto Cæſaris paſſim res Eccleſiaſticæ Catholicis reſtituuntur invitis Proteſtantibus, ſed tam fruſtra renitentibus quam olim Catholicis. Dux VVirtenbergiæ inter omnes unus erat, à quo plura cæteris repeterētur, quippe providerant maiores, ut ea bona adventitia non minora eſſent patriis avitisque Proximæ Inferio-

ris Saxonici Circuli querelæ poſt tot annis tolerata bella ſæviora armis jura ſibi imaginantis: in urbibus Imperii idem animorum habitus, quamquam validiores accuſarent magis edictum, quam timerent: dolebant in univerſum ſe inauditos, indefenſos velut pro innoxiis cōdemnari provocabant ad Imperatorem, ad Imperium, ad Comitia, ad ſemetipſos, una omnium vox leges invocantiū, ſurdum auxilium, dudum & mutum quod ipſi fecerant, ſed ſua in ſe exempla recidere etſi ſentirent, fateri nolebāt. Saxo & quidquid inter Proteſtantes præteritis motibus Cæſariarum ſincere partium fuerat, idem ora-

orabant, quos Cæſar Ratisbonam, quo iam tum Septemviralia comitia indicta eſſent diſtulit: non longum id viſum, & pari ſenſu æſtimatum inter eane temporis Catholici ea bona an miles haberet, qui cætera haberet omnia. In Germaniâ ergo leges, alibi locorum arma ſtrepebant. Rex Galliæ ex Italicâ expeditione redux reliquias Hugonottarum ita domuerat ut jam à domeſtico metu otioſas Regni curas omnes in bellum Italicum transferre poſſet: Sabaudus iniuriæ proximus fuit, qui eiusdem & auctor credebatur, binique in eum emiſſi exercitus, à quorum altero nullo negotio ereptum ei

quidquid cis Alpes Provinciarum poſſidebat, Tranſalpinas res geſſit ipſe Richelius arcanor. Regiorum arbiter, quem Gallia juxta, atque etiam ſupra Regem adorat, vir ingentium unus hiſtoriarum capax nunc etiam dum vivus & ſuperſtes eſt, quanto magis cum abſolverit fortunæ miraculum & res mortales relinquet, quas ille univerſas nunc vaſtiſſimo mentis conceptu ventilans humani generis aut fortunam ſtabiliturus creditur, aut infortunium. Summa expeditionis fuit Pinerolum oppidum munitiſſimâ cum arce vi captum, ſufficereque id temporis viſum omnem Alpium Gallicarum tractum

in poteſtate habere unde in Monſerratum, cuius ſalus in conſervandâ Caſalenſi urbe ſtabat, ſemper quas res poſtularet traducendi copias facultas eſſet, nec enim leve negotium arcis illius expugnationẽ, quamquam ſummus eâ ſcientiâ dux Spinula expeditioni delectus, nec Torraſium, cui præſidii Gallici tutela à Rege commiſſa facilem eidem adverſarium fore. Et profecto æſtas tota inefficacia obſidione à Spinula abſumpta deſtinatis hac in parte Gallorum conſiliis feliciter reſpondit, ſed alibi Venetos qui fœdere cum Gallis inito res Mantuanas defendendas ſuſceperãt, in totũ fruſtrata eſt, qui

 præ-

præter inſignem exercitus ſui cladem quem urbi obſeſſæ auxilio adducebat Sagredus dux novus, ſed quid in ſe opus eſſet probe ſibi conſcius (unde eâdem facilitate excuſavit ignominiam, quà antea magiſtratum recuſaverat) non multo pòſt urbem ipſam, quam ſitus naturaque inexpugnabilem faciebat, vel ſocordiâ vel paucitate præſidiariorum, quorum immenſam ſtragem peſtis hoc anno ut in aliis Italiæ lòcis ediderat, à Germanis nocturnâ vi captam viderunt, Duce ipſo Nivernienſi, qui fugam in arcem præceperat, ibi quoque vix liberum abitum paciſci coacto. Ingemuit Italia omnis antiquiſ-

ſimæ urbis, & quæ veteres quoque Barbarorum ruinas evaſerat, excidium Cæſarque ipſe infortunium quod intulit miſeratus eſt, dolens ſe exiſtimationis conſervandæ causâ, quę una totius huius belli merces, rerumque contrà propius ſitarum iactura fuit, eò adductum ut everſam cõiugis ſuæ patriam inter triumphos numerare cogeretur. Militarem inſignem gloriam eo facinore Galaſſius meruit, cuius conſilio res confecta: Collalto utilius fuit abſente ſe urbem capi, cum poſt patrati operis invidiam tamen prædæ in tempore ſuperveniſſet. Victoriæ huius nuntius Imperatorem iam Ratisbonæ of-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0111-3

ſendit, indicto illuc Electorum conventui præſidentem, cuius eventus aliarum in ſe omnium rerum curam ſui exſpectatione traxerat. Iam Rex Suetiæ Pomeraniam aperto invaſerat bello, multis primo adventu opportunis locis potitus, fruſtra reſiſtentibus Cæſariis legionibus, quarum magnus ubique numerus ſed miles alibi, aut nuſquam erat. Iam Chriſtianus Magdenburgicus ab exilio redux urbe illâ ad arma coactâ in ipſis Germaniæ viſceribus arcem aperuerat rerum veterum, novarumq; aut etiam nunquam futurarum cupidis: jam Carolus Lauenburgicus idem auſus, quanquam in flore à Papenhemio

hemio oppreſſus, jam in reliqua Germaniâ omnia pariter ægra ac valida, compoſita ac coercita intumuerant, cum nec ſpes, nec metus cuiquam certus, ſed utraque immodica eſſent, & ingrata quies dulce movendi qualecunque pretium faceret, bellumque victis in voto, victoribus indulgentiâ fortunæ ad omnia ſperanda ſolutis etiam voti fiducia eſſet, nec tamen perinde agerent, ut militiæ flagitia, quæ neutiquã ſecundos bonæ ſpei eventus promitterent, corrigerentur. Vnicum malis remedium Ratisbonâ exſpectabatur, ubi prima de pace actio fuit, ſed cum eam Germani ſibi inter ſe inviderent, Italiæ

con-

conceſſere, in qua Mantuana controverſia cum Gallo ita compoſita, ut parte Montisferrati Sabaudo cedente reliqua omnia Nivernienſis Cæſaris Imperiique Rom. beneficio ut antiquitus cæteri Duces poſſediſſent, haberet, læto in præſens, ſed ut pòſt patuit, ancipiti Italiæ gaudio, cum utrumque & quod concupierant Hiſpani, Caſalenſem arcem, & quod averſati fuerant clauſtra montium Galli tenerent, ipſaque in medio poſita infenſarum inter ſe gentium nunquam ſuffecturis cupiditatibus duplicem & aditum & ſedem præbuiſſet, ab alterâ peſſumdanda ut propria, ab alterâ ut aliena. Secunda

in

in cœtu Ratisbonenſi de bonis Eccleſiaſticis fuit conſultatio, quæ more Germaniæ in alium dilata cœtum, tempusque componendæ huic cauſæ in annum proximum Francofordiam definitum, Proteſtantibus ipſis diem de induſtriâ proferentibus ut ex Sueci progreſſibus conſilia caperent, Catholicis abundè ratis, ſi in præſens fruerentur, in futurum cum fortunâ conſultari. Tertium caput de bello porro adminiſtrando, quando pacem deſperatam eſſe appareret, fuit. Et hæc actio optimis nobilitata cõſiliis: ſtipendio diſciplinam militarem ſtare & ſuſpẽdio, tot legionum tribunorumq; numerum etiamſi ſummâ mode-

modeſtiâ regantur, inhabilem ad parendum, tributorem rationes per ambitioſos Commiſſariorum & Ducum ſinus ambulantes publicandas, & veteri more ut conſtare, ut reddi poſſint, Imperii Ordinibus permittendas, ſed totius rei effectus ibi ſtetit, ut inviſum VValſtenii imperium abrogaretur ſuccedentibus magis aliis hominibus, quam aliis moribus, qui licentiâ temporum eò uſque invaluerunt ut leges magis illis, quam hi legibus aptandi eſſent. Miraculo fuit Walſtenium ſe ſponte in ordinem redigi paſſum, ſed ſciebat ſe eam ſui neceſſitatem feciſſe ut brevi ad ſe vel ex deſperatione redeundum eſſet.

ſet. Iniecta ad extremum & de Rege Rom. creando mẽtio, Cæſarq; huic ſpei filium oſtentabat, non inutilis deliberatio tam affecto corpori, tot ſuſpectis caſibus ſaltem de capite providere, ſed pars libertatis, cuius tum intempeſtivo ſtudio & alia ſalubria corrupta conſilia, viſa eſt non negare, ſed differre ſuffragium pòſt in idem caput, ſed non pari gratiâ rediturum, tunc potentiâ Auſtriaca urebat etiã eos quos illuſtrarat. Finis Comitiorũ talis fuit, ut Rom. Imp vulnera patefierent quidem, ſed neutiquam curarentur, & pœne ipſo Imperii fine conſecuto, ni Deus deſertas humanis conſiliis res ſuſtentaſſet,

ſet, hæc ultima in Germaniâ comitia fuiſſent. Hunc annum præter cætera inſignem reddiderunt continuata Sabaudi, Spinulæ, Collalti funera, quorum interitum Itali uti trium perturbatæ patriæ Ducum in omen traxerunt, tanquam ſolæ ſuperis res Italiæ curæ eſſent.

## An. M DC. XXXI.

EPiſcopatibus Abbatiis, cęterisque rebus Deo dicatis Catholico nomini reſtitutis inter ipſos Eccleſiaſticos de bonis partiendis lis oritur: nondum victoria, iamque diſcordia erat aliis veteri Ordinum jure, aliis novis à Cæſare & Pontifice cōceſſionibus nitentibus, nullo a-

lo apud utroſque proventu, nam intra haud longũ tempus ad proximi temporis poſſeſſores reverſura erant ſimul involutis etiam illis bonis, quæ ad id temporis propria Catholicor. & nunquam controverſa fuerunt. Rex Suetiæ Pomeraniæ illatus totam eam oram ſuæ poteſtatis fecerat, Gripſualdiâ, Colbergâ maritimis, Damino mediterraneâ munitiſſima urbe exceptis. Stetinum quod caput provinciæ, oſtentato quidem armorum terrore promptius tamen admiſſus, quam ut in metu fuiſſe videretur. Præpoſitus ei regioni à Cæſare Torquatus de Comitibus Italus morbo correptus cauſam

ſam habuit miſſionis in tempore impetrandæ, ut ſalvis prioris fortunæ præmiis felicem eam valetudinem rebus poſtea ſubſecutis, quibus eo caſu ſubtractus eſt, ſibi fuiſſe agnoſceret, quum Ferdinandus Capuanus alter nobilis Italici generis dux Garzio ac Griffenhagio fortiſſimis Oderæ fluvii clauſtris quibus præerat mediâ hyeme à Rege expugnatis infauſtam remanendi neceſſitatẽ morte exoluiſſet, quam tamen Fridericus Sabellius eiusdem nationis properatâ Damini deditione, cui urbi cum Tillius VValſtenio exauctorato in ſummam militaris Imperii reſtitut⁹ præfecerat,

cerat, prævenire maluit, adductis in aulâ Cæſaris huiuſmodi rationibus, ut non ſolum ignominia excuſata, ſed etiam deinceps paris operæ navandæ facultas præbita ci fuerit, extrema Tillii indignatione (ſed hominum in aulâ probatorum virtutes magis quam vitia intelligenda erãt) qui id oppidum pro arce belli habiturus, & haud dubie intra eas regiones hoſtis progreſſus retenturus videbatur, ſed ab eo eventu totam belli rationem commutare, & obſeſſæ Gripsvaldiæ à ferendâ ope interſeptus deditionem, Regi autem Pomeraniam omnem indefenſam permittere coactus eſt, cum Colberga diu-

turnâ quidem, ſed ad extremum irritâ defenſione necquidquam reſiſteret. Iam ad magnum per ſe Sueci nomē nunc hiſce ſucceſſibus multo auctius novæ in dies acceſſiones fieri, omniaque ſub manu, inprimis milites, in quibus ſolum ut numerum ſpectaret, VValſtenius docuerat, naſci adeò, non legi videbantur, cum eis qui ſuperioribus temporibus aliarum quam Cæſaris partium fuerant, ultro exſpectatus, multis Cæſarianis ex ſtipendii commeatuſque inopiâ, quam ipſi ſibi per cædes & raptus (quæ ad id tempus ſtipendii nomen impleverant) exhauſtis Provinciis fecerant, gratus acceptuſque adven-

ventus eſſet novi cuiuscunque domini, qui meliora promitteret, nullâ an promiſſa præſtare poſſet curâ, nam Provinciales qui ſedibus patriis expulſi, nil iam quod amitterent habebant, ad ea caſtra tanquam ad penates confluebant rapturi & ipſi ex alieno ubicunque aliquid & eſſet & non eſſet, quæ ſola eo tempore vivendi conditio. At Tillio procul ab aulâ, è quâ conſilia aut nulla aut poſt res afferebantur, procul à dominis, qui proſpera ſibi, adverſa illi imputaturi erant, procul à ſubſidiis & auſpiciis eorũ quorum nomine & fortunâ ad omnia ſufficere juſsâ bellum gerebatur, nihil ad explicando

canda vetera conſilia in manu erat, cum in exercitu ipſius ſummæ divinæ quæ apud paucos, & ſumma paupertas quæ apud omnes nihil medii nec ad bene parandum nec imparandum feciſſet, & contra infiniti hoſtes aperti ſuſpectique, à fronte, à latere, & in ipſis viſceribus exorirentur, ut tantarum rerum moles, gravior utique quam quæ unius capite regeretur, ſocium ei neceſſarium vel ipſum Walſtenium faceret, quem plerique Sueco ipſo peius horrebant. Vnum illud ſupererat ut exercitum præliorum virtute expertum in aciem deducere, & rem uno certamine decernere poſſet; at id Re-

gi nondum maturum erat, bellum quam prælum malenti. Et ſane viris principio Francofurtam ad Oderam, ubi Schaumburgius tam valido cum præſidio inerat, ut æquo quoque loco hoſti par eſſe poſſe videretur, ita interceperat. ut ad ſperatam committendæ ibi rei occaſionem advolanti Tillio profugi milites urbem captam exercitumque deletum prius pæne nunciarent, quam ille Regem eò adveniſſe crederet: eâdem conſilii deſtinatione Brandeburgum oppidum ſub oculis ſuis omni belli clade à Tillio devaſtari, & Magdeburgum ipſum obſideri, expugnari, atq; excindi paſſus eſt, quæ celeberrima Germaniæ

urbs paucarum horarum ſpatio incertum hoſtili an fortuito incendio (verius inteſtino, cum cives quatenus urbem hoſti non poſſent, triumphum prædamque eriperent,) in cineres ſubſedit, multis millibus mortalium ferro flammâque hauſtis. Eâ victoriâ Tillii gloria ita eluxit, ut hanc inter poſtremas numeraret, cum intereaSueco fas eſſet ſocordiam exprobrare Germanis, quod Magdeburgum capi permiſiſſent, ipſi vero promtum & expeditum quidquid inter Albim Oderamq; eſt regionum otioſè ſubigere, locaque opportuna, in quibus Stetinum fuit inexpugnabilium ab eo munitionum operi-

operibus cinctum, ſibi & victoriæ firmare maiore futurorum quam præſentium curâ, nam certus erat, ſi hæc deſperata fierent, quibus antea adventus ſuus in voto fuerit, tunc ſocietatem ſuam in apertæ neceſſitatis vim quæ nullas à potentiore cõditiones recuſat venturam. Iam pridem quidem Proteſtantes Saxonis auſpicio novum inter ſe Lipſiæ fœdus inierant (Francofordienſi conventu dicis magis causâ ne deeſſe viderentur quam quod quidquam ibi daturi admiſſurique erant obito) conſcriptoque milite Edicti Eccleſiaſtici tributorumque militarium abolitionem ab Imperatore, quem exarma-

tum volebant minitabundi nondum tamen Sueci armis petebant, & copiæ Cæſariæ ex Italiâ poſt res illic pacatas reduces multos illorum, in quibus Dux Wirtenbergicus, Sueviæque ac Franconiæ civitates fuere, ad fœdus ipſum eiurandum adegerant, ſed terror is fuit nō diuturni cuſtos obſequii, cæteris autem maturandi neceſſitas, ut palam à Rege auxilia acceſſerent. Primus qui id faceret extitit Gulielmus Haſſiæ Landgravius, in quem Tillius toto movebat exercitu, fruſtra iterum Rege acie provocato, qui traiecto Albi etſi locum prælio non dabat, multis tamen eximiis equitum turmis no-

ſturnâ

cturnâ irruptione obtritis haud quaquam lætam Tillio eam provocationem fecit. Tum Saxo & Brandeburgicus majori licet cunctatione, auſi tamen denique & ipſi cauſæ ſuæ quam à Cæſare deſperatam ſe ferre credebant, non minus anxium vindicem quærere palam, junctis viribus ſocietatem Sueci induunt; inde omne mox Proteſtantium nomen in eodem ſacramento fuit, cunctique exutâ æqualitate juſſa Regis ſpectabant. Belli ſedes prima novi conſilii merces Saxonia fuit, ubi Tillius Lipſiâ oppidisque vicinis potitus tanto cumulo multiplicatæ belli moli inexplorato ſe fert obviam (ſed

Papenhemius navandæ operæ avidior toto equitatu in hoſtem evectus, ut aut deſerendus aut quamvis ancipiti auſu eripiendus eſſet, invitũ coegerat in diſcrimen venire)itaque hoſtem, quem tam ſæpe in manibus habere optaverat, repente in latere habuit, & prope Lipſiam cladem ætate noſtrâ maxime memorabilem accepit, quæ omnem Catholicor. fortunam ſuperiorum temporum proventu iam pœne oblitam ſui uno momento evertit, ſeróque admonuit, quãto conſultius ſit civiles victorias maturatâ pace finire. Poterat ni rem diſcrimini committere properaſſet exſpectare dum hoſtem diſtineret

Tief-

Tieſſenbachius Saxoniam è Bohemiâ adortus, vel ſe ei jungerent copiæ Italiæ quas Aldringherius adducebat, ſed hæ fugientem protexerunt, ac brevi iuſti exercitus ſpeciem reddiderunt, quibus Sueco, relicto Saxone ad invadendam Bohemiam (vbi tam lætæ ei res fuere ut primus poſt Palatinum Cæſaris hoſtium Pragæ urbis potiretur) in viſcera ſe Franconiæ temere effundēti facile erat parem cladem reddere, cum ad eum quoque Lotharingius exercitum ſuum aggregaſſet (collegerat eum proximâ ille æſtate Cæſaris juvandi ſtudio, ignarus quam gravem à tergo alieni periculi appetiti vindicem Gal-

lum relinqueret) ut triplicato hoſtem ſuperaret numero. Sed potior Bavariæ Auſtriæque abſentem quaſi in viſceribus paventis hoſtem cura coegit omiſſa certâ victoriâ agmen eò convertere quò id genus conſilia vocabant, quæ plerumque adverſæ fortunæ inſolentiâ è ſummâ repente ſpe in noviſſimum metum præcipitata magis ſe colligere quam erigere ſtudent, & quanto pavidius ſe à periculis ſubducunt, eo illa in ſe cumulativa trahunt. Tillium tum primum res adverſæ admonuêre quod inter proſpera eum minus adverterat, quibus auſpiciis militaret, ergo juſſum imperium executus, obſequii glo-

riæ

riæ famâ poſthabitâ, dimiſſo Lotharingo copias ad Bavariæ fines ſiſtit, illo duntaxat tam brevi itinere propter commeatuum inopiam ita immunitas, cum milites indignati ſibi nec vincere nec vivere licere plenis turmis aut ad hoſtem tranſiſſent, aut deſerta ſigna reliquiſſent, ſatis ut conſtet Lipſienſi clade plus ſanguinis, hîc plus viriũ, illic haud innoxiam, hîc gratuitam hoſti victoriã conceſſam, cuius præmia brevis temporis ſucceſſus repræſentavit, maiore fere Germaniæ parte Suedicis armis quatuor vix menſium ſpatio domitâ, cum omnia aperta hinc à Catholicis deſperatio, hinc à Proteſtantibus nimium

hians & præpropera novæ fortunæ complexio quam ne ipſi quidem caperent, præbuiſſet, eſſentque iam quod paulo ante Catholici, præteritorum futurorumq; ex nimia ſecuritate obliti.

## An. M. DC. XXXII.

REx Suetiæ ſubactâ Franconiâ, & partâ è Catholicis ingenti prædâ in Bambergenſem agrum, in quo munita aliquot præſidia expugnanda ſupererant Hornium equitum præfectum mittit, cui in itinere deflectenti Heilbronna urbs factâ deditione aditum quoque in Sueviam aperuit, ipſe ſecundo Mœno profectus Francofordiam, & omnes eius tra-

ctus urbes vi, minis, promiſſis, pactis, proditione, perfidiâ, quæ perinde ei atque fortuna ipſa adfuêre, (ſed omniâ virtuti illius qui rebus gerendis præſens intererat, adſcribebantur) inde traiecto Rheno Moguntiam, Spiram, VVormatiam, Palatinatum & Rhenanas omnes Provincias quæ hinc Coloniâ illinc Argentorato (quæ ipſa urbs eum pro hoſpite dudum, nondum pro domino exſpectabat) continentur, paucis exceptis locis in quibus Hiſpanica aut Bavarica præſidia inierant, ſui juris facit. Alſatiæ Lotharingi miles incumbebat ſolutiſſimæ, ut nemo alius, diſciplinæ, qui Cæſarianos in eo

præcellebat, ut idem eſſet, & furaciſſimus & fugaciſſimus. His hyems expeditionibus Regem intentum habuit, quâ adultâ Francofordiam reverſus receptâ ad ſe uxore viſus eſt ſucceſſibus ſuis, quibus ad id temporis tam ſtrenuè uſus fuit, jam frui velle: ſed quies militi neceſſaria ab eo ita uſurpata eſt, ut in propinquo parta armis contineret, viribusque reficiendis operam daret, longinqua conſiliis, aſtuque & ingenio moliretur, iamque non minus nomini ſtuderet quam victoriæ, famâ emenſurus quæ à re repræſentandâ longius aberant. Hinc miſſæ ab eo ad Venetos, Helvetios, Anglos ac Bata-

vos legationes, illæ ad dignitatem magis, in his & negotior. fides inerat, auctumque de Colonienſi urbe expugnandâ quæ per ſe ſitu opibusque valida, & tum Catholicor. exuliis plena digna illiciendæ cupiditatis merces videbatur. Contracta ibidem arctiora cum Gallis fœdera, nam quæ antea pacta, inter longe diſſitos accenderant magis quam confirmarant amicitiam, nunc cum vicini eſſent, providendum erat, ne eam iam corrumpere poſſet inſociabile communis affectus vinculum propior ſua cuique utilitas. Valde id Cæſar conqueſtus eſt, à Gallis contra pacificationis Italicæ ſanctiones fieri, ſed

hi

hi ad vincendū magis quam excuſandum intenti occaſionem fide potiorem habuerunt, gnari victoriæ rationem non reddi, & fallere nunc fruſtrariq; prope ſæculum vocari. Confœderatis Proteſtantibus ſuppeditatæ facultates (Germaniæ jam prædâ Germani ipſi emebantur,) ut pro ſe quilibet proprium nominatim exercitū haberet, quæ res & Lunæburgicū retexuit, ut expertam Cæſaris amicitiam fortunamque, quarum neutra ad eum diem illi improſpera contigerat, novę ſpei poſtponeret, & qui Danum provincio tolerare nequierat, Suecos pœne pro dominis admitteret. Vni ſupererant

VVirtenbergici (nam Megapolitanos Duces ab exilio reduces ſolus victoriæ Lipſienſis terror in avitas ſedes reſtituerat) qui à Cæſario præſidio ex Italicis copiis impoſito liberandi eſſent ſed ipſis quoque in tantum fortuna adfuit ut Leopoldo primum Cæſaris fratri, poſt eo deprecatore in aulâ Cæſaris perſuaderent ſi ſibi demto præſidio mediarum partium fides permitteretur, à Rege itidem ſe fidem habere ibi locorum Suecica arma nuſquam viſum iri: Ergo deducto milite ingenio ſuo permiſſi Religionem (qui tum omnium rerum color erat, tanquam credendi libertas Suecicâ ſervitute tutius quā

in

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0139-2

in legem eâ de re ſcriptarum obſequio conſiſteret ) antiquiorem fide habuerunt, nec ſolum Sueci dedititii, ſed poſtea in Auſtriacas Leopoldi Provincias Suecis ipſis infenſiores hoſtes fuerunt, accepti beneficii neceſſitatem auctoris injuriâ ulciſcentes. Ulmenſes & cæteri Sueviæ Proteſtantes ibi fuere ubi omnes erant: nec mirum nam in Catholicis ipſis terror & adverſæ fortunæ inſolentia jam conſilia variare inceperat. Trevirenſis Suecorum timore, Hiſpanicæ tutelæ faſtidio ac ſuopte ingenio libertatis quam diu non ſerviret haud quaquam patiente Gallicæ clientelæ ſe dedidit, Hermanſtenio munitiſſimæ arci



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0140-4

Gallico impoſito præſidio & Bavarus ipſe, quis crederet? addubitavit plusne ſibi Gallisve crederet, mediarumque ſe pro tempore partium fieri paſſus eſt. Id autem erat nec ſibi nec Gallis credere, ſed neceſſarii vis conſilii, nam cum à Tillii exercitu ſuas Cæſar legiones improviſo avocaſſet, cuicumque quamvis infirmo hoſti ſe obnoxium fore cernens, interea dum virium reficiendarum tempus haberet à Gallis ipſis exemplum an conſilium mutuatus, ne caperetur captandum ſe præbuit, rebusque inſecutis demõſtravit eandem ſemper cum Cæſare & Catholicis ſibi aleam ſubire deſtinatum, nec ſe unquam bonæ

cau-

cauſæ fortunam longinqui amici fiduciæ commiſſurum fuiſſe, cum Cæſarianos eadem neceſſitas ad VValſtenium ire compulerit, tunc aboliti Imperii memoriâ anxium amicum, pòſt apertum proditorem? Nec tamen ille aliter haberi potuit, quam permiſsâ rerum omnium ſummâ, & quam vix ipſe Cæſar haberet poteſtate ut pares cum Rep. quæ eadem in eius arbitrio, rationes haberet. Et ſanè prçteritorū temporum depravatio, cum in re militari quæ haud dubie corruptiſſima, meliora omnes laudarēt, nemo tamen afferre poſſet, artesque ille quibus Suecus ipſe uteretur omnia militi permittens, jam

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0142-5

jam eo minus damnari poſſent, nec mali remedium ab alio, quam ab ipſo mali auctore ſperandum foret, effecerat ut Walſtenius unus ſummus bellator haberetur, cuius opes expilato Imperio comportatæ, cum alii ſuas aut præproperâ liberalitate effudiſſent, aut intempeſtivâ frugalitate tenacius cohiberent, ipſæ ultro erumpere geſtirent, certumque eſſet Cæſarem cuivis duci potius res gerendas permiſſurum, quam ipſum ſe & Remp. in caſum daturum. Ergo ad Walſtenii nomen tantũ brevi militum Imperatori ſub ſignis fuit, ut Suecus ſerò diſceret vincere ſe ſciviſſe, victoria uti neſciſſe, qui non ſtatim à Lipſienſi

præ-

prælio in Bohemiam Auſtriamque, & in ipſum caput rerum victrices copias duxerit. Veris principio Tillius Hornium Bambergæ mœnibus cum clade expulſum non tamen longius perſequi audet Regis timore, qui quaſi fractis ea re induciis quæ nondum cõvenerant, irritatus, totis viribus movit in Bavariam ſolo ultionis ſtudio, cæterarum rerum & Walſtenii ipſi⁹, quem adhuc in ipſo apparatu rerum opprimere vacuum erat, oblitus, & captâ Donaverdâ Danubii, inde Lyci amnis tranſitu potitus, Bavarũ nuſquam iam quam in caſtris tutiorem intra Ingolſtadii urbis mœnia redigit, ubi Tillius ex vulnere dum Lyci tra-

jectu

jectu hoſtem prohibere conatur, accepto moritur vir ſummâ armorum peritiâ, fortunâ quoque pari, niſi ad extremum offendiſſet longa & raro perpetua felicitas. Suecum ne cedenti Bavaro eodem curſu incumberet Auguſta urbs, Auguſtanæque confeſſionis nomini ſuo aſſerendæ vindicta paulisper retinuit, quo ille titulo receptâ urbe inſignis, Ratisbonâ, ubi idem illius deſiderium, (ſed Bavarus duplicato præſidio rerum novandarum facultatem abſtulerat) fruſtra, Ingolſtadio pæne cum capitis pernicie tentato, cum forte globus tormento emiſſus, ipſum cui inſidebat equum proſtraviſſet, totam quæ cis Oenum

Bavariam, licet in victoris arbitrium nullâ cunctatione ſe permiſiſſet, infenſus devaſtat, Monachio tamen, quam Bavari ſedem Palatinus Regis aſſecla, ad quem nuper ex Ollandia rerum ſuarum recuperandarum ſpe advolarat, incendere moliebatur, vim eam abſtinuit, ſeu urbis pulchritudinem, ſeu ipſa conſanguineorum odia quamvis utilia ſibi miſeratus quatenus in inviſum ſanguinem non poſſent, in innoxia tecta ſævire. Prohibitum ſcelus quod jubere poterat, Regi in gloriam, Palatino in tanto maiorem invidiam vertit, ut dignus eſſet cui reſtitutionis beneficium à Rege dilatum etiam negatum videretur. Hæc

Sueo

co agenti nunciatur ingentem recuperatâ à Saxone Bohemiâ & formidandi exercitus mole advenire VValſtenium, & jam in ſuperiore Palatinatu haud longe à Bavaro, & ſi cunctetur à ſe abeſſe: rapit propere quæ ad manum erant copias, & ſub Norimbergæ mœnibus obvio ſe ſiſtit hoſti, ibique ducendo bello caſtra communit, idem haud procul inde facit VValſtenius, uterque in id intentus, ne quo alter progrederetur, viciſſe ſe ratus, ſi ne vinceretur providiſſet, ita maior æſtatis pars extracta, latis illatisque cladibus anceps, donec Rex adventu novorum exercituum quos è diverſis locis

Panerius, Haſſus & Vinma-
rienſis adduxerat, iam ipſe
ingenii ſui regēdi haud com-
pos diſſentientibus reliquis
omnibus ducibus, ad ipſa
Cæſariana caſtra oppugnan-
da ducit. Temeritas clade
non mediocri expiata, ſed
tamen rerum ſumma ſuo
momento ſtetit, haud dubiè
ſi perrupiſſet debellatura.
Suecus fortunæ ſuæ infen-
ſus magis quæ ſperata non
obtinuiſſet, quam quæ præ-
tēr ſpem obvenerant repu-
tans in Franconiam, VVal-
ſtenius relicto ad ſua tutan-
da Bavaro, adiunctoque ei
Aldringerio in Saxonem
movet, cui poſt amiſſam Bo-
hemiam proſperiores inter-
ea res in Sileſia ſucceſſerant

Arnhemio duce, à quo Cæſarius exercitus cui Maradius, Schaumburgius, & Philippus Mansfeldius præerant (id ipſum maximum erat rerum impedimentum tot Ducum numerus) multiplici clade affectus. Voitlandiæ à Gallaſſio, Miſniæ maiore parte ab Holquio (hic Stralſundam olim pro Dano defenderat, quam Arnhemius pro Cæſare oppugnabat uterque bellum ſecutus, non cauſam) ſubactæ ſuperveniens, Lipſiâ expugnatâ ut quidquid in totâ Germaniâ Cæſariarum copiarum erat ſibi aſſuefaceret paratu eius facinoris, quo poſtea cecidit Papenhemium quoque ad ſe evocat, legiones eius, florem

 haud

haud dubie Cæſarii peditatus in ſe tralaturus. Hic in Saxoniâ inferiori multis fortibus facinoribus editis multiplici hoſti Haſſo, Lunæburgico, Baudiſio æquo, iniquo loco, in acie, in agmine ſemper par, ſæpe ſuperior, dum ſuo ductu rem gerit victor; ſed ab Hiſpanis ad ſolvendam Traiecti ad Moſam urbis, quam extremo diſcrimine Ollandi urgebant, obſidionem advocatus ab hoſtium caſtris oppugnandis cum clade repulſus fuit, ab iis ipſis qui operam eius poſtulaverant in propinquâ ſpe victoriæ deſertus, quam gens perverſiſſimâ gloriæ cupidine toti orbi ſibique ipſi gravis ab amico petere quam acci-

accipere, ac penes hoſtem videre maluit. Suecus Saxoni totâ belli mole oppreſſo ſubvenire maturans, VValſtenium prope Luzenium Lipſiæ ſuburbanam urbem aciem auſum, quamvis jam hinc Gallaſſium in Sileſiam, hinc Papenhemium in Weſtphaliam remiſiſſet (ſed hic in tempore reverſus prælio occurrit) ſtultitiam eam non temeritatem exiſtimans mutato conſilio, quo antea omnino ſummo diſcrimine abſtinere conſtituerat, invadit. Ibi cruentiſſimo prælio decernitur, Rege ipſo & Papenhemio in acie cæſis: nox diremit pugnantes, ſed Walſtenius deſertis tormentis nec pro victo nec pro victore

in Bohemiam ſe recipiens rem Suedicam ſuperiorem reliquit. Serviret haud dubie Germania qui omnium civilium certaminũ exitus; & proximæ forte Provinciæ, ſi Rex victoriæ ſuæ supervixiſſet, nunc eandem occaſionem auxilii ſpecie ſibi vincendi aliis, qui in partes vocati univerſis imminent, non minus affectatam, & niſi odium ſui Germani mature deponant, propius ab ipſo effectu remotam reliquit. Hunc exitum ipſe ſibi præſagiſſe dicitur, cum ſui eum pro immortali colerent, brevi fore aſſeverans, ut mortalitatis ſuæ extremo experimento admoneretur. Regem Palatinus ſecutus eſt

morte ingloria, & ad eandem formam vita fuit. Leopoldi Cæſ. fratris funus eodem anno ſpectatum, egregia ſobole ſuperſtite.

## An. M. DC XXXIII.

FOeda rerum in Germania facies. Proteſtantes amiſſo Rege quamvis ſpecimen partium interiiſſe viſum, Hailbronnæ coëunt, & quod vivo Rege nunquam feciſſent, in mortui gratiā quem pro libertate ſua occubuiſſe credebāt, Cæſari ſacramentum renunciant, diſſentiente Saxone & aliis Proteſtantium qui Suecos mallent amicos habere quam dominos. ſed maior iam penes Oxenſternium nuper alterum

à Rege, nunc ſolum rerum Suedicarum arbitrum au-ctoritas erat, compoſitaque eius præſcripto novi ſub o-mnium Imperii ordinum no-mine forma ſenatus ipſo pre-ſide; numerũ explevit quan-to quiſq; ſervitio promtior, & fidei crimine, quod inter deſciſcentes maximum, mi-nus laboraret, & ſedes Fran-cofordiæ delecta, nulla de pace mentione, quæ parti-bus invicem cum utriusque fortunæ documento abunde expertis tunc maximè tem-peſtiva videri poterat, ſed illi ut antea Catholici, viciſſe ſe & omnia habituros arbitra-bantur, non peſſimâ ſolum & immodicâ dominandi, ſed etiam ſerviendi libidine, id-

que

que primum in libertate ſuâ extremum vidit Germania, ut qui legibus ſibique ipſis parere nollent, mortui Regis ſatelliti obedirent. Aldringherius promotis in Sueviam Bavaricis copiis Memmingam deditione recipit, Campidunenſes maiore animo quam robore vi exſpectatâ contumaciam partium pæne ultimo excidio infamarunt, & Hornius ſubactâ victor Alſatiâ ad Danubium obvius cum clade in VVirtenbergiam reiicitur, iamq; haud improſperam & congruentem de ſe Aldringherius famam præbebat, inter paucos Cæſ. duces eum ſobrium (& natura vino abſtinebat) ad res gerendas ac-

ceſſiſſe, ſed ad reviſendam uxorem cuius deſiderium non æque ferre poterat, longius profectus neglecta omnia apud ſuos & hoſti occaſionem reliquit paris referendæ cladis. In Alſatiâ legiones quibus Montecucculus Briſacci præfectus præerat occidione cæſæ, & Dux ipſe exercitum temeritate amiſſum morte ſuâ ſecutus eſt, Lotharingum res perditas reſtituere conantem à tergo Gallus adoritur, & totâ ditionis ſuæ Provinciâ exigit tam properè, ut ille pæne exul prius quam hoſtis Gallo ſua profugus, Cæſari bellum relinqueret. Par & in VVeſtphaliæ finibus accepta calamitas, ubi Papenhenici

mici exercitus reliquiæ ( robur apud VValſtenium erat) Merodio, Gronsfeldio & Beninghuſio ductoribus Hameliæ munitiſſimo ad Viſurgim præſidio quod Lunenburgici obſidebant, opitulaturæ funeſtiſſimâ clade delentur, Merodio in acie cæſo, in quem culpam quam diluere non poſſet, coniicere cæteris qui effugerant pronũ fuit, ut illis ipſis res, quas deſeruerant, denuo committerentur tanquam nihil in fuga flagitii, maiorisque animi fuerit non deſperaſſe, quam ſatisfeciſſe fortunæ partium ſuâ culpâ perditæ. Animadverſum eſt omnium prope Cæſaris cladium primũ caput fuiſſe capitum Du-

cumque multitudinem; res accuſata & damnata ſemper, nunquam emendata, ut neſcio quo fato ſemper ducibus magis quam bello proſpectum foret, eóq;, ubi iam antea multi nimiique erant, etiam plures ſubmitterentur. At VValſtenius ſeverior militarium culparum vindex videri voluit à multis non obſcuri nominis ductoribus, qui in Luzenſi prælio officio ſuo lapſi fuiſſent, extremo exacto ſupplicio magis uſurpãdi iuris causâ, quam quod illorum tãtum ea culpa fuerit, an ut cæde inſignium virorum cui Cæſar ipſe ne deprecando quidẽ intercedere auſus magnitudinem ſuam quaſi regio facinore oſtentaret,

taret, quæ interpretatio rebus inſecutis obtinuit, & illi pro innocentibus periiſſe viſi. Hæc in hybernis ab eo acta, quæ in ipſam æſtatem produxit, militi conciliando, cui longiorem nec inopem requiem dandam ferebat initio ſtatim hybernorum in eam ſententiam Cæſari ſcribere auſus, niſi iuſta militi indulgeantur ſe non utrum velit jam Cæſaris ducem, ſed ſeditioſorum caput fore, incertum excuſandæ an minitandæ neceſſitati. Poſtquam præcipiti jam æſtate in expeditionem in Sileſiam itum, fama tenuit Saxonicas copias ipſo advenientis exercitus impetu obteri potuiſſe, ſed ne quid gereretur pax

obtentui fuit, de quâ Arnhemio interprete hoſte tunc, ſed olim fidiſſimo eius aſſecla trium menſium ſpatio nec quidquam actum, mirantibus omnibus & conquerentibus cur dies rerum inutili negotiatione abſumerétur: in aulâ Cæſaris id magis pro magni arcani ſecreto habitum, cuius ſancta quędã ignorantia tutior eſſet, quam plura ſciendi cura, eaque in hominis fide fiducia inerat ut proditionem quoque non niſi Cæſaris beneficio moliturum crederent: hinc illi omnia ad facinus facilia, cum minus metuendum ei foret ſi deprehenderetur, quam ſi auderet, & pæne peractum ſcelus etiam laudaretur. At

non in Hiſpanis tamen tanta torpedo fuit, quin ſuſpectarent rem, quæ qualis eſſet, in ſolâ proditoris fide conſiſteret, itaque ut in omnes eventus ſubſidium pararetur, Cæſari auctores fuere evocandi ex Italiâ Ducis Feriæ Mediolani Præſidis, qui firmum magis quam copioſum exercitum ſub ſignis eduxit. Briſacco ſubventurus, quod unicum Alſatiæ clauſtrum & præſidium omnibus circa hoſtilibus extremæ obſidionis diſcrimine Suedici premebant. Senſit VValſtenius artes, & jam ſupra obſequii neceſſitatem poſitus nō diſſimulavit ſeſe intelligere, queſtusque id contra pacta fieri quibus ei promiſſum, nemi-

nemini crediturum Cæſarem niſi ſibi, coëgit eum illud tanquam apud æqualem excuſare. Verum Hiſpanis & detexiſſe & irritaſſe hominem par ratio fuit, tantoque magis Dux Feriæ approperare iuſſus, & res ipſa maturare cogebat, quia Hornius Rheno traiecto in Helvetiorum fines novo auſu transgreſſus, qui id nemini externo unquam impune futurum iactabant, (ſed & apud illos diſcors Religio aliud credere crediquc iubebat, & quanquam neutrarum partium ſpeciem præ ſe ferebāt, more gentico diverſa induerant, cum per occulta & fida magis alii iſtam, alii alteram partem foverent) Conſtan-
tiam

tiam urbem opportunam magis muniendo quam munitam, & tunc inde unde paulò ante publica ab Helvetiis fides data erat hoſtem nullum adventurum, nihil metuentem improvisâ vi invaſerat, multis Helvetiorum tam cupide adjuvantibus, ut rei ipſius auctores crederentur, ſed illi nil publico conſilio (non perinde publico permiſſu) actum excuſarunt. Advenienti Feriæ ſe iunxit Aldringherius Cæſaris iuſſu, permiſſu VValſtenii, quod ille tum magis ſpectare cogebatur, nil rerū geſturus niſi quod ille imperaſſet, id autem ipſum imperarat ne quid gereret, mortem interminatus, ni pareret,

ret, Itaque quanquam Hornium Conſtantiæ obſidjoni pertinaciter inhærentem & poſt in ipſa Alſatia prope Sulzium æquo loco duplicatò maiorem hoſtium numerum provocare auſum opprimere ſine diſcrimine potuiſſet, maluit ille fortunæ gloriæ, victoriæque ac Cæſari ipſi quam VValſtenio deeſſe, exhorreſcens Manliana viri imperia, & nolens capite ſuo periclitari pluſne illi ad exequendum quam Cæſari ad impediendum ſcelus animi eſſet, nec Dux Feriæ, nil per ſe virium penuria audens, à ſocio impetrare potuit, ut Conſtantia Briſaccoque diſcrimini exemtis idem opis ferretur Philippiburgo,

quæ

quæ validiſſima Spirenſis Diœceſeos arx longâ obſidione exhauſta pæne inſpectantibus illis à quibus ſubſidium fruſtra ſperaverat deditionem fecit. At paulo poſt etiam atrocior nuntius perculit Bernardum Vinmarienſem, qui Hornio antea iunctus ſed eam militiam in quâ hoſtis non eſſet aſpernatus (nam quid Aldringherio liceret facile illi aut ſcitu aut intellectu fuit) iterum ſe ſeparaverat, acto raptim in Bavariam milite vacuam agmine Ratisbonâ oppido potitum eſſe, ubi præſidii magis inſtar quam præſidium erat, quod Bavarus ipſe & illic & alibi Bavariæ exonerandæ imminuit, nec hoſtem quem

pro-

procul à duobus validis exercitibus diſtentum iri credebat, nec cives ipſos metuens pronos licet ad res novandas, ſed ſine externo auxilio nil auſuros, maiore fortaſſis ſumtuū & ærarii quam belli hoſtisque curâ, ergo omni opinione citius ille intempeſtivę frugalitati ſuperveniens in cervicib9, & mox in viſceribus etiam fuiſſet, niſi Verdanus paulo ante gregarius miles, & tunc eximiis equitum turmis inſignium facinorum merito, quibus ad iuſti ducis nomen paulatim inclaruit, præpoſitus victoriâ exultantem, ſed multiplici clade caſtigatum intra Iſaræ fluvii ripas coërcuiſſet. VValſtenius interea

& ipſe in Sileſiâ edidit ſeu
veri & legitimi, ſeu aſſimu-
lati & cum hoſte ipſo com-
poſiti decoris exemplum va-
lidis ad Stenavium Oderæ
fluvii vicum hoſtium caſtris
in quibus iuſti exercitus Ma-
thia Turriano Bohemicæ o-
lim rebellionis capite & Tu-
baldio ductoribus conſede-
rant, unâ eáque incruentâ
expeditione captis, nam Sa-
xonicæ copiæ rebus dome-
ſticis, quas Holquius Miſniâ
ingreſſus Lipſiâ expugnatâ,
ubi pòſt peſte correptus o-
biit, incertum ſi ſupervixiſ-
ſet Cæſari an VValſtenio
magis fidus, late agendo fe-
rendoque depopulabatur, a-
vocatæ abſceſſerant, atque
ita Sileſia omnis & Branden-
bur-
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0167-3

burgici agri pars circumdu-ctis hoſtium ducibus in de-ditionem venit, qui mox à navatâ eâ operâ dubium per fidem an perfidiam ( ita re ſemel ſuſpectâ ſeu bene ſeu male facta premunt ) dimiſſi: inde relata in Bohemiam hyberna, nec Cæſaris iuſſa periclitantibus circa Ratis-bonam rebus ſubvenire im-perantis ultra valuere, quam ut aliquot equítum alas eò mitteret, & Paſſavio locis-que proximis impoſito præ-ſidio Auſtriam Bohemiamq; in poteſtate haberet. Extre-mo anni obiere Iſabella lon-gæva Belgii Gubernatrix, & Dux Feriæ, illa annis, hic tæ-dio rerum ſpeique fruſtra magnis animis cœptæ ægri-tudi-

tudine extinctus, & Batavi Bergas ad Rhenum Hiſpanis eripiunt duce uno idoneo deſtitutis, cum ibi quoque plures pari imperio imperarent, ſed imperata ut fit, nemo exequeretur.

## An. M. DC. XXXIV.

HOrnius Aldringherio & Hiſpanicis copiis, quæ in ipſâ expeditione locis commeatu vacuis de induſtria circumductæ maius detrimentum quod nullo, quam ſi adverſo prælio decertaſſent, acceperũt, in Bavariam redactis ſuo arbitratu in Sueviâ hyberna metatur, & veris principio Bibraccum ac Meñingam urbes recuperat validam iſtam, ſed vbi nul-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0169-8

nullius pretii miles, illam contra nullâ re munitam, ſed veterani inerant, ita administrante Oſſa Commiſſario (de cuius ſyncerâ in Cæſ. fide nemo non excepto ſolo Cæſare dubitabat) cui noxias per ſe Commiſſarii artes etiam ad arma tractanda, ubi maiori præmio peccatur, extendere licuit. Eod. curſu Campiduno recepto Vberlingam ad lacum Bodamicum conſtantiorem urbem quam fortiorem, cui aperto lacu libera ſubſidiorū facultas (ſed non ſemper in tempore aderant) acerrimis oppugnationibus nec quidquam adortus Buchornio debili ibidem oppido præſidio impoſito quod Cæſariani

ni neglexerant, oram illam totam diu Suedicis armis infeſtam habuit. Inter hæc Walſtenius jam ſummæ poteſtatis quâ ſupra ipſum Cæſarem elatus erat, reique ipſius niſi etiam nomen haberet pertæſus, certusque flagitii ad quod facillime ab eiusmodi voto tranſitur, patratique potius quam ſuſpecti, cuius par pœna, facinoris reus eſſe maturans omnes primorum ordinum duces in novi formam ſacramenti adigit non permiſſuros ei à Cæſare imperium abrogari. Apparebat pleriſque quantum è Rep. peteretur, ſed ſævitiam hominis, quâ ille etiam aliâs pro virtute utebatur, tunc ad peragendum

ſcelus ſola virtus erat, veriti ſubſcripſere, eandem illi fidem ſervaturi, quam ipſe Cæſari; fuere tamen non pauci qui bonâ fide perfidiam amplecterentur jam ab eo antea aut immenſis largitionibus, aut earum rerum, quæ ſalvâ Rep. præſtari nō poſſent, promiſſis emti. Audita hæc in aulâ Cæſaris aut omnino non, aut in maius*, quam quæ remedium admitterent credita nullum dabant conſultandi medium quid agendum quidve omittendum eſſet, donec Aldringherius magis tandem Cæſari quam Walſtenio fidere auſus certiora attulit, conjuraſſe eum haud dubie, idque cum illo facinus audere paucos, mutare plures, ſi ceſ-

ſare

ſaretur, paſſuros omnes: facile ex eâ relatione explicatu conſilium fuit, edictumque in legiones ne quis Walſtenio perduellionis manifeſto dicto ſit audiens. Egghenbergius Cæſaris ad id tempus unus ſummarum rerum rector potius quam cõſiliarius, tunc uti præcipuus ſemper Walſtenii ſuffragator à conſilio excluſus, intellexit verſũ eſſe aulæ ingenium, itaque quod facillimè jam impetraturus eſſet, ſeceſſum in Stiriam, ubi ingentes eum Principis liberalitate cõceſſæ poſſeſſiones exſpectabant, petere præoccupavit brevi momẽto tam prope ab exule quam antea à principe abſuturus, fato potentiæ raro ſempiternæ

in eius locum Trautmans-dorfius aulâ, & interioris amicitiæ nomine potitus, rerum militarium regimen Schlickius accepit par negotiis, neque ſupra, quod unum VValſtenium fato ſuo impegit. Dum Imperator conſiliis terendo tempus magis imitatur principem quam repræſentat, fortuna eius proprio motu proditorem confecit, nam eo iam nomine ſuo monſtratus VValſtenius deſertusque ab eis quibus aliqua honeſti cura, Pilſenâ quæ coniurationis ſedes erat, Egram pertendens ſolos eorundem ad extremum conſiliorum comites habuit Terſchium, Kinſchium, & Iloum, ſed eadem ad-
ven-

ventus ſui nocte à præſidiariis loci Scotis genere Leslæo auctore cum ſociis occiſus tantarũ rerum omnem in partem quomodocunque ſupervixiſſet ancipitem motum brevi exitu compoſuit, nemoque eo extincto aut conſcientiam facinoris ultra executus aut ultus eſt, ſola ut fortuna familiam Auſtriacam quæ à lapſu tam prope abfuit in faſtigio ſuo conſervarit, non adeò quod in tempore detecta, quam quod propere in capite ipſo vindicata coniuratio ſpatium non dedit clementiæ Cæſaris, quæ æque noxia, ubi nulla & ubi nimia, vel cum miſerantis periculo coniuncta eſt; in Cæſare tanta erat, ut ſi eum

Imperatorem eſſe cæteri non meminiſſent, ipſe obliturus crederetur, nam non defuere qui etiam mortuum Walſtenium proditionis crimine abſolverint, eosque qui primi cum deſeruerant accuſarent tanquam pari pravitate eundem quem antea corruperant foverantque, infamarint ac perdiderint, & ſublato Walſtenio, Walſteniani tamen animi ſuperfuerint, ſed res quæ ſucceſſerunt documenta dederunt bene fortunam Walſtenii morte uſam, nec defuit Cæſari filius ipſe Ferdinandus Ungariæ Rex principem locum implere, qui exercituum curâ in ſe ſuſceptâ, quod omnium diu votum

tum erat, & junctis caſtris cum Bavaro, cuius ſimultatibus per Walſtenii latus ad ipſum Cæſarem pervenientibus eiusdem morte egregiè parentatum, Ratisbonam longâ oppugnatione multisque cruentis oppugnationibus fractam recuperat, non iis tamen conditionibus quas victor ipſe, vicinusque magis Bavarus memor cladium inde illaturum ſibi vellet, ſed re cœptâ quocunque pacto defungi cogebat hinc Vinmarienſis magno exercitu virium diſtinendarum causâ Bavariæ inſidens, & Landshuto, ubi Aldringherius incertum hoſtili an proprii militis manu (nec enim deerant qui Walſtenii meminiſ-

miniſſent) occiderat, vi capto ferox, illinc trepidi nuntii ſignificantes Saxones pleraque Sileſiâ ſubacta in Bohemiam transgreſſos jam ipſis Pragæ mœnibus inſiſtere. Non negligenda erant Regi præ alienis domeſtica, jamque cum delectâ copiarum parte eò properabat invito Bavaro, qui uni bello incumbendũ, nec ad omnem hoſtium motum ſummam rerum circumagendam cenſebat (ſed ſua cuique cariora) cum lætiora nunciantur Lamboium unum ex Cæſariis ducibus quanquam Maradius & Colloredius reliqui duo jam animis ad fugam, ipſi receſſum vocabant, inclinarét, capto ad reſiſten-

dum loco idoneo irruentes temere Saxones magno primum damno repulſos, pòſt ipſo tenore victoriæ, cuius continuatio ad res finiendas efficaciſſima eſt, inſecutum totâ pepuliſſe Bohemiâ. Ergo regi regredi & ſe Ferdinando Cardinali Hiſpaniarum Regis fratri, qui Belgio regendo deſtinatus inſignem exercitum & veteranorum Hiſpanorum robur omnibus Italiæ præſidiis evocatorum adducebat in Bavariæ finibus jungere vacuum fuit. Eo & Lotharingo exule, quem copiis ſuis Bavarus ſeipſum Jam militiæ deſuetum excuſans præfecerat, comitibus Donauerdâ & totâ Danubii orâ Vlmâ tenus recupe-

ratâ in Noricum flexit, & Nordlingam validam urbem valido munitam præſidio obſedit. Hic Vinmarienſis, Hornius, Cratzius Cæſarius ante Dux & Ingelſtadio præfectus (quod prodere voluiſſe inſimulatus, dubiam perfidiam & anteactorum merito vix creditam manifeſto transfugio patefecit,) & Wirtenbergici delectus, ſegnis numerus ille quidem & armis oneratus verius quam inſtructus, unde tamen quatuor exercituum inſtar effectum eſt, collatis cum Rege ſignis memorabili pugnâ vincuntur Hornio ipſo & Crazio, qui pòſt pœnas pro perfugâ capite luit, in acie captis, Vinmari-
enſi

enſi ſaucio cum paucis equitibus profugiente, cuius temerariæ ferociæ eius diei calamitatem cæteri adſcripſere, qui è ſummo certamine abſtinere præſertim jam idoneâ obſeſſis ad vim longius ſuſtentandam manu ſubmiſſâ, & commeatibus potius intercluſis, quod factu facillimum erat, Cæſarianos ad abeundum adigere ſuadebant. Par ſine dubio Lipſienſi cladi reddita clades, ſed non tam præſens aut tam proprium quam illic victoriæ præmium fuit, quia Cæſarius miles diutinis laboribus exhauſtus tempeſtivius eâ & intemperantius forte quam par erat frui maluit, opulentiſſimâ Wirtenbergiæ &

proximis Cisrhenanis Franconiæque regionibus quæ longis uſibus ſufficere poterant intra breve tempus fulminis in modum ad ultimam inopiam evaſtatis. Hiſpani cum nullus jam æquo loco hoſtis ſe ſiſteret, nam Verdanus equeſtres Ringravii alas, robur ſine controverſiâ Suedici equitatus, quæ à Vinmarienſi pugnæ pariter campeſſendæ quanquam prope aberant haud exſpectata fuere non inter poſtremos eius calamitatis lapſus, ad Rhenum aſſecutus fœdâ conciderat ſtrage duce ipſo occiſo, mediam emenſi Germaniam in Belgium pertenderunt, & Rex Viennam rediit ſumma Imperii militaris Gallaſſio

laſſio permiſsâ, hybernis militi jam antea diſtributis, quæ Bavari properantius occupantes cauſam dediſſe viſi ſunt, & reliquis qui periculorum æquales præmiorum ultimi eſſe nolebant, ut proſperarum rerum curſum eò citius illi quoque ad uſurpandam quietem flecterent. Abitu Regis ſolutâ caſtrorum diſciplinâ Galli trajecto ad Philippoburgum, quod immenſâ auri vi à Suecis redemtum poſſidebant, Rheno Haidelbergæ per arcem quam Sueci tenebant admiſſi, multiplices qui in urbe erant cum robuſtis copiis Cæſarios duces nec opinato oppreſſos ignominioſo agmine quaſi ſub jugo deditos emiſerunt,

poterantque eos inultos delere, ſed nondum aperti Cæſaris hoſtes videri volebant.

## An. M. DC. XXXV.

POſt Norlingenſem victoriam res Catholicorum ubique reſpirare, nec ſolum æquare fortunam Proteſtantium, ſed ſuperare videbantur. Iam primum fœderis Catholici auſpiciis huiusmodi exercitus cui Philippus Mansfeldius præfectus, ſub ſignis erat, quo jam ad ſuperiores Tillianorum temporum ſucceſſus ſi Dux idem fuiſſet, haud temere aſpirare poterant, Franconię deinde maior pars Herbipolenſi arce recuperatâ ab hoſtibus purgata. Philippoburgum alteram inexpugna-

gnabilem arcem idem qui eam Cæſaris nomine pro pręfecto obtinuerat Bambergius aditu occulto ſibique ſoli cognito & ut compererat, incuſtodito nocte ingreſſus incredibili felicitate intercipit, immenſis præter urbem in quam ut deſtinatam Germanici belli ſedem eas Galli depoſuerant, opibus potitus quæ nomine direptæ prædæ militum, re in Ducum præfectorumque ſinu fuêre: nec ferè quidquam iam cis Rhenum erat, quod non Cæſariis armis teneretur, & Spira ipſa tranſmiſſo flumine in deditionem venerat, ſed hanc mox Vînmarienſis ex cōglobatis victarū partium reliquiis & Gallicis auxiliis in iuſti

exer-

exercitus nomen refectis viribus per paciſcendi ſimulationem interfecto aut in vincula dato præſidio recipit. Auguſta longâ & longinquâ circumſidione, quæ Sueviam circumjectam eadem, quam hoſti obſeſſores fecerant, inopiâ deſolatam perdidit, interclusis commeatibus ad extrema malorum redacta vix tamen à Suedicis præſidiariis, quibus intermortuæ urbi ultimâ pertinaciâ immori decretum erat, faciendæ deditionis facultatem; impetrat. Iamque Lotharingius ſuperato & ipſe Rheno in Provinciæ ſuæ fines transgreſſus, magnum illic & in Galliis ipſis adventu ſuo rerum motum facturus credebatur.

batur, ingenti ubique Cæſarianorum fiduciâ, ſed fortuna contra fuit non tam hoſtiū virtute, quam victorum vitiis. Mansfediꝰ circa Francofordiam in ſpeciem obſidionis tota hyeme otioſæ adſidens ita res adminiſtravit, ut licet vir eſſet qui bellicarum rerum conſilia atq; unà actiones ſuas magnificis orationibus nobilitare ſoleret, maximæ ſpei exercitum tanquam hoc ipſum in mandatis haberet, inopiâ maiori quam ab eo hoſtis patiebatur, & omnium rerum corruptelâ ac negligentiâ confectum ad diffluentem ad vix digni nominis numerum redigeret, quod tamen ei per aulicam in Re-

giâ

giâ Cæſaris gratiam impune aut aſſenſus conſilii fuit non pati novis auctibus revireſcere grave Principi ſubditorum Ordinum fœdus, Galli pleriſque munitioribus Alſatiæ locis in Suecis auro redemtis inſidentes (eò evaſerat illa deprædicata libertatis Germanicæ tutela, ut non ſolum ſerviret, ſed etiam venundaretur) Lotharingum ita exceperunt, ut vana arma circumferentem multis millibus ferro fameque amiſſis nullo momento Provinciarum ſuarum aditibus tentandis irritum inglo-riumque inhæreſcere paterentur, ipſi lectas copias in ore eius prætervectas Rohanenſi duce per medios Helve-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0188-9

tiorum fines (tantum vetera eius gentis mutaverant, ut armatus externus exercitus juſto agmine ordinatus in ſinu eius conſpiceretur, documento itaque cuicunque alteri idem auſuro futurus, quantum compertis eorum inter ſe factionibus fidenter inſultanti, ſi experiundæ modo rei libido ſit liceat) in Vallemtellinam emitterent, Hiſpanos, quibuſcum exoletâ pacificattonis Ratisbonenſis memoriâ brevi inter nationes naturâ hoſtes fidei vinculo, in apertas iterum inimicitias deſcenderãt, novis in Italiâ motibus infeſtaturi. Iam miles Cæſarius Walſtenianorum temporum aſſuetudine, quæ niſi iuſtis

ſtipen

ſtipendiis ad diem repræſentandis ut corrigatur ſperare vanum eſt, hoſtibus amicisque juxtâ gravis tanta immodeſtiâ ubique graſſabatur & ſtativorum nomine in Provinciales ſæviebat, ut invisa antea Suedicorum licentia deſideraretur: acceſſit ad ea arctiſſimus annonæ frugumque proventus, cum prius ſata collectave militari petulantiâ corrupta aut diſſipata jacerent, nec agri inculti nova ſufficerent, unde dira & quanta nullis temporum monimẽtis nota fames, & ex fame peſtis excepit, quę duæ calamitates eâ ſtrage deſęvierunt, ut vix tertia hominum parte ſuperſtite nec melioribus poſtea tempori-

bus

bus inſecutis Germania in Germaniâ quęrenda ſit nullo quondam florentiſſimarum rerum veſtigio, niſi quãtum urbes viciq; ſitu ſquallidi, ſolicitudine horrentes omnia cultorum deſiderio vaſta ac deſerta quid, civilis furor poſſit, ruinis ſuis conteſtantur. Vnicum afflictis rebus remedium à pace ſpe= rabatur, quæ frequentibus legationibus ac congreſſibus Pirnæ alibique locorum inter Cæſarem ac Saxonem diſceptata iis tandem conditionibus Pragæ convenit, quæ privatim Saxoni quam univerſo partium nomini utiliores æſtimatæ nec internas diſcordias perſonarunt, nec externis, qui jam non ii

erant

erant ut leges ab aliis accipe-re, ſed ipſi ferre vellent, ſatiſ-fecerunt probè intelligenti-bus, neque enim res tam oc-cultè jactata quin appareret pacatâ Germaniâ arma in ſe verſum iri: Ergo dulce pa-cis nomen, ſed caſſo effectu in atrocius bellum evaſit, cuius ipſius cura, quaſi cer-tâ pace & minus intenta, & diſciplina etiam fluxior fuit, quamquam omnes in Ger-maniâ Proteſtantes paucis in-de aut nominatim, aut pro parte, aut ſuâ ſponte excep-ptis (inter quos præcipuus fuit Wilhelmus Haſſiæ Land-gravius) pacem verbis ac-ceptaſſent, Suecique idem pro tempore ſe facturos ſimula-rent, verum offenſi poſtea

Saxo-

Saxonis ut ferebant, ſecum tanquam cum victis non ſociis agentis acerbitate, & poſt prorogatas cum Polono inducias novis è Sueciâ ſubſidiis confirmati quæſtuoſæ in privatum pacis convicium Saxoni & latæ è ſe opis oblivionem crudeliſſimo bello regeſſerunt: offerebatur & Vinmarienſi gratuitus ad ſua reditus, ſed ſpes vana cùm qui pacem belli amore exuerat, bellum pacis caritate depoſiturum, is ergo aperte Galli ſacramentum accepit, & cum Cæſariani Spirâ, Vormatiâ aliiſque eius tractus urbibus in fidem receptis Moguntiam obſiderent, ſociatis cum Valletano Gallico duce caſtris adventus ſui ter-

rore

rore eos in fugam conjicit, ſed mox illi novis aucti viribus adductis à Ferdinando Vngariæ Rege in expeditionem reverſo, quam ita adminiſtravit ut raro in ipſis caſtris, nec procul tamē inde remotus majeſtatem, Imperii acrius ut videbatur abſens intentaret, an quod inter militem inopem cum qui munificentiæ ſummus eſſet, pecuniâ vacuū verſari haud decorum credebatur, in Gallos infenſius revecti in Mediomatricum uſque agrum cedentes inſecuti ſunt, ubi tum ſumma rerum hęſit nullo ullam in partem facto momento, niſi quod Cæſarianis ab hoſte otioſis vacuum fuit Franckenthalium,

Mogun-

Moguntiam, & cæteras circa Rhenum urbes hoſtilibus præſidiis liberare, ſed quæ in Galliis hyberna animis deſtinaverant (quorum maior eis cura quam ipſius victoriæ) indevaſtatis Alſatiæ, Sueviæ, ac proximis regionibus figere coacti infauſtam pacis ſecuritatem & non minus gravia quam ab ipſo hoſte belli mala amicis ſociisque retulerunt. Gallis hic triumphatis magis quam victis conſimilis fortuna alibi quoque locorum fuit; nam in Italiâ Vallemtellinam bis cruentâ clade repulſis Cæſarianis, quos à ſummis Alpibus ingruentes compoſito Hiſpani conſilio à diversâ Larii lacus ora eodem tem-

pore adoriundi hoſtis fruſtra in id intentos deſtituerant, egregiâ famâ tutati ſunt, quam iterum Valentiam Hiſpanicum ad Padum oppidum magnâ vi nec quidquã oppugnantes ignominioſo infectæ rei exitu fœdarunt, licet confœderati eos duo ſtrenue adiuvarent hinc Sabaudiæ Dux, qui ſine ulla neceſſitate vendito eis Pinerolo paterna ambigua, quibus ille ſolis Sabaudiæ Ducum dignitatem nullius nec amici nec hoſtis niſi ſuo arbitrio indigam ſtare cenſebat, perpetuo Gallicarum partium iugo illigavit, illinc Parmenſis, quem in Hiſpanos nulla res alia armavit, quam earum miſeriarum quas vici-
num

num ſuum Mantuanum coactũ pertuliſſe viderat, ſponte experiendarum libido. Motum quoque in Belgio bellum profligatis prope Namur cum Hiſpanicis copiis quas Thomas Sabaudi frater ducebat, feliciter auſpicati, mox in indignas populationes, quibus Brabantiam crudeliſſime vexarunt delapſi Gallici magis tumultus trepidationem quam legitimi belli terrorem iis gẽtibus, Batavis contrà qui icto cum eis fœdere florentiſſimas copias coniunxerant (par Gallici exercitus robur fuit, vix ut memoria extet quamdiu ibi Hiſpani rerum potiuntur numeroſiores, uno tempore hoſtium exercitus

in eas Provincias invaſiſſe) tempeſtivam pœnitentiam iniecerunt, quod non ſuis ſeparatim conſiliis auſpiciisque, quorum eos nunquam antea temere pœnituiſſet, huius quoque anni expeditionem decreviſſent, nam brevi pòſt ex tantâ ſpe res eorum adeò mutarunt, ut Schěkiano munitiſſimo præſidio, clauſtro haud dubiæ Bataviæ, quà ſe primis divortiis Rhenus in Vahalim Iſſalamque dividit, inopinata Hiſpanorum irruptione capto infeſtum in intimo Provinciarum ſuarum corpore hoſtem haberent, inſigni documento tam gravi expeditionum mole cœpta bella non æque eventui reſponde-

re quam quæ ita habili apparatu geruntur, ut regi, ut ſuis momentis adminiſtrari poſſint.

## An. M. DC. XXXVI.

INfeſtiſſima reddit odia prioris amicitiæ recordatio, quæ ut in externis nunquam ſyncera exiſtit, inter concordes non longæ vinculum caritatis, inter infenſos maior irarum incitamentum eſt, id Saxo à Pannerio Suecorum ductore perpeſſus, qui Saxoniâ ad tempus decedens, ſed amiſſus ad Havelam fluvium robuſtis legionibus iam ex deſperatione quoque ipsâ quippe cui nihil in Germaniâ habenti nihil perire poſſet, accenſis

inſenſius odiis ſe in Saxonis militem Domitium obſidentem circumegit, & inde cum clade repulſum ad Kirizium è veſtigio denuò aſſecutus fœdiore ſtrage diſſipat, & Salâ fluvio ſuperato mediæ illatus Saxoniæ armis armorumque terrore ingentes undique pecunias, quæ ei prima ad perpetuandum bellum diligentia fuit, extorquet omnia ferro flammâque permixturus niſi arctis Saxoni rebus Hazfeldius Cęſaris juſſu ſubveniſſet, qui Pannerium ad Serveſtam optimâ equitatus parte mulctatum in Magdenburgicum agrum reiicit: urbs ipſa, nam ædificiis incenſis muri veterumque munitionum opera

exta-

extabant, cæſis iterum ad Tangermundam Pannerianis, qui ſubſidio adventabāt, deditionem pacta, eundemque caſum ſecuta eſt VVerbena munita ad Albim Havelamque confluentes arx & maior Brandenburgici agri pars. Ad VVitſtochium fortuna iterum variavit, ubi Pannerius Cæſarianos Saxonesque iuſto prælio ideo quia ſe fugere putabant fugatos vincit, famaque tenuit inter Saxones fuiſſe non paucos qui armis Cæſariis, animis Suedicis pugnarent, & duplicis per ſe generis auſpiciique exercitus ut uni duci ad regendum nimius rurſus ſi duo imperent ad commune periculum capeſſendum mi-

minus concors dum carptim pugnat & ſuum quisque momentum ſequitur, diſtractis viribus infirmior fit unà uni hoſti ad reſiſtendum. Pannerius recuperatis poſt victoriam quæ amiſerat Magdeburgo excepto, Turingiam Miſniamque turbinis in morem percurrens Erfordiam oppidum, unde in ipſam Franconiam emiſſæ ab eo prædatoriæ manus, inde flexo itinere Torgam ad Albim expugnat, eoque fine anni huius expeditionem ſiſtens, id ſolum ſtuduit ut vi, minis, populando, urendoq; quam maximam pecuniæ vim colligeret, ut militis è Suetiâ ſubmittendi certus ita nullius niſi quod ipſe ſibi pararet

ret ſtipendii ſecurus. Pari ex-
emplo Landgravius depo-
nendorum armorum quæ
magis in tempore proferret,
ſimulatione ius à Cæſare
conſecutus hybernorum in
quibus ipſi commodum Pro-
vinciis metandorum inde
Hanauiam inexpugnabile
prope Francofordiam oppi-
dum ad extremum obſidio-
nis à Cæſarianis redigi paſ-
ſus repente eos à tergo ag-
greſſus fugat, & Paderbor-
nenſem, Monaſterienſem E-
piſcopatus, & Vechtio expu-
gnato quidquid Bremâ te-
nus cis Viſurgim eſt regio-
num, ipſamq; Phriſiam iun-
gendæ cum Ollandis manus
causâ ſubactam exactioni-
bus & rapinis dilacerat, &

quanquam Haſſiæ ſuæ idem à Ghezio Cæſariano duce fieret, patrimonium tamen ille ſuum in armis eſſe reputans perſeveravit ſanguine quærere, quod alii longo ſudore paravisſent. Principio æſtatis Vinmarienſis Tabernas Alſaticas (ſuperiore anno Cæſariani eas occuparant) recuperat fruſtra præſidiariis obſidione diu ſtrenue toleratâ opem à Gallaſſio exſpectantibus qui Stolhovio ad Rhenum otioſis ſtativis inſidens in hoſtem niſi duplicato maiorem exercitum haberet, ducturus non erat. Advenere ei, ſed re iam transactâ novi è Sileſia Butlero ducente delectus, tùm demum Rheno traiecto laboran-

boranti auſus eſt ſubvenire Burgundiæ in quam neutrarum ad id tempus partium (Helvetici fideiuſſores erãt) non indicto à Rege Galliæ bello miſſus Condæus Dolam obſidebat. Prior obſeſſis Lotharingius opitulatus eſt, & urbe diſcrimine exemtâ coniunctis cum Galaſſio viribus in ipſam ſe Lugdunenſem Galliam populabundus effudit, iamque Virduno ad Ararim opportuno ad bellum porro porrigendum loco potitus ſtabilem in hoſtico pedem fixiſſe videbatur, ſi idem in Galaſſio conſilium fuiſſet, ſed is rebus ad res gerendas neceſſariis, tormentis præſertim, & inſtrumentis aliis urbium expu-

gnandarum ſe diu deſtitu-tum, pòſt præterlapſis iam cum æſtate occaſionibus & hybernis imbribus ſupervenientibus non iam in tempore inſtructum arctis inſuper commeatibus hinc Alſatiâ quæ tota in hoſtium manu, hinc ipſis Provincialibus quos Cæſariani aſſuetâ rapiendi licentiâ ipſis hoſtibus infeſtius in ſe armaverant, horũ autem armis & à fronte, à latere cinctum excuſans transferendi in Gallias belli ſpem oſtendit tantummodo, ſtatimque in Germanias irritam retulit, ubi hybernis iterum occupatis quin ea in hoſtico obtineret Hiſpanorum culpam fuiſſe arguit, qui Verdano, Piccolomi-

lominio, & flore tam equita-
tus quam peditatus Cæſarii
à ſe abducto Corbeiâ in Pi-
cardiæ finibus munitâ urbe
captâ, cum ſicut inter ſe &
illos conveniſſe dicebat, in
plana Galliæ deſcendere, ſi-
bique ad Lingonum fines, ut
iuncto virium robore Sueſ-
ſionenſem Comitem præter
cuius copias nullus tum eis
par in Galliâ exercitus ſub
ſignis erat, debellare matu-
rarẽt, occurrere debuiſſent,
potiori propriarum & pro-
piorum ſibi rerum curâ ad
reliqua Picardiæ præſidia
Belgio imminentia expu-
gnanda adiecto animo com-
poſita ſecum conſilia & cer-
tam victoriæ ſpem quæ in
celeritate poſita erat, corru-

piſſent ſpatiumque Gallis ſeſe confirmandi dediſſent, qui eodem tempore in Italia caſtris trans Ticinum in ipſo ſuburbano Mediolanenſi agro prope Olegium poſitis ab Hiſpanis quibus robuſtæ è Germaniâ legiones novæ eo anno ſubſidio venerant, iuſto certamine fuſi cis flumen rediguntur, ſummâ tamen rerum nihil ullam in partem variante niſi quod Toraſius magnâ vir inter Gallos militari gloriâ ſub ignobilis vici explorando aditu globo traiectus eis ereptus eſt, & Dux Parmenſis totam ditionis ſuæ provinciam hinc ab Hiſpanis omni clade belli evaſtatam, illinc ab ipſis Gallis Placen-
tiam

tiam compoſitis inſidiis pæne interceptam vidit, ſerâ amicorum quos deſeruiſſet, quosque nuper adſciviſſet æſtimatione. Fine anni Ferdinandus Cæſaris filius redux ab expeditione quam, ut priore anno, in propinquo abſens conſiliis rexit, indictis Ratisbonam comitiis Rex Romanorum creatur non ad extremum deſerentibus Germaniam fatis, cum paulo pòſt inſecuta Cæſaris morte nihil ad plenam eius perniciem quam diuturnum interregnum & anarchia quæ ut re obtinebat, ita etiam ipſo nomine imminebat, deeſſe videretur.

✠

## An. M. DC. XXXVII.

FErdinandus ſecũdus Imp. fatis concedit Princeps univerſis animi bonis, ſed unâ in Deum pietate, ad quam omnes fortunæ caſus proſperos retulit, adverſos fregit, rectiſſimè excellens, nam liberalitatem, clementiam reliquaſque virtutes ſi modum egrediãtur excuſes rectius quã laudes. Verdanus Hermenſtaniũ acceſſu inviã arcem circumfuſis equitum turmis eminus obſidẽs, Haſſos commeatum inferre molientes, toto cœſos campo exigit frequentibus huiuſmodi expeditionibu quæ melius manu quam conſilio geruntur aſſecutus, ut etiam iſtis ſufficere crederetur, ſed annus

annus inſequens experimentum contra dedit. Media hyeme Pannerius Lipſiam oppugnat, quæ urbs toties capta didicit tandem præſidium à virtute petere, & vi illatâ ſtrenuè defensâ docuit arma ut fortibus honeſta, ita etiam ignauis tutiſſima eſſe, ab eo experimento nullam ille validiorem urbem ultra tentare auſus miſeræ Saxoniæ excidio Regi ſuo qui ibi ſupremo vulnere votivum Germanicæ libertati ſanguinem effudiſſet, parentare perſeveravit, non immemor interea captæ Torgæ mœnibus ita ſe immunire, ut ad eum depellendum omnium Cæſariarum virium moles eò convertenda eſſet. Gal-

laſſi-

laſſius, Hazfeldius, Marazinius, Cæſarii, Ghezius Bavaricus, Glizingius Saxonicus duces affuere, acceſſit, pòſt & Lunæburgicus (civilium ille bellorum deſultor mox in his, mox in illis partibus erat) & novis cũ Croatarum ſubſidiis Suarzenbergius, tantusque ducum ac legionum, in quibus gregalem militem ſæpe, nunquam ordinum ductores deſideres, numerus extitit ut oſtentandæ ſemel rei causâ Gallaſſius inſignem manum ex ſolis militiæ præpoſitis conſtantem in hoſtem iuſto prælio invadendum opimis dandis vel capiendis ſpoliis emiſerit: at Pannerius tamen diu cunctatus eſt fugere ma-
gnâ

gnâ ſeu fortitudine, ſeu calliditate ad Saxoniam ille funditus perdendum intentus,ut intra quem finem ſuæ populationes ſtetiſſent, inde amici Cæſarii militis inciperent, & id paucos dies fugæ ſupraſedendo aſſecutus impune ſe in Pomeraniam proripuit Cæſarianis in tantâ multitudine hoſtem elapſum perſequentibus acrius quam incluſum cuſtodientibus qui tamen ad Cuſtrinium facilem defenſu Oderæ fluvii pontem haud dubie in manibus hæſiſſet, niſi Brandenburgicis loci dominis præſentior ea ratio viſa fuiſſet hoſtem unáq; amicum tranſmittere potius, quã utrumque in cervicibus habere, Sa-

xone non minus læto quod ab iſto quam quod ab illo reſpiraret. Ita eo anno res Suedicæ intra Pomeraniæ fines redactæ ſunt Saxone, Brandenburgico, Lunæburgico ſua per otium recuperantibus, Gallaſſio, penes quem ſumma exercituum cura, ſegni per totam æſtatem militiâ tandem adultâ hyeme in ipſam penetrante Pomeraniam Tripſeſcio, VVolgaſto, pòſt Damino ipſo armis expugnato; Anclamium, Stralſundia, Stetinum vim illatam facile ſuſtinuerunt liberis mari ſuppetiis, & Cæſariaris ob commeatuum inopiam quæ eos tanquam umbra ſemper inſequebatur, nullam iuſtam obſidionem

aggredi auſis. Viſmaria, Roſtochium & reliqua Megapolitana ora quæ ſe ſuis opibus defendere poterat neutrarum, quæ id non poterat utrarumque partium fuit. Res Haſſicas Landgravius Gulielmus morte quam hic annus vidit, vitâque ſuâ iuxta peſſumdatas ne etiam in poſterum erigi poſſent Gallis liberorum tutela teſtamento commendatâ permiſit, idẽ ſupremũ Sabaudi morientis iudicium fuit dubium caritatene illecti an fraude uxoris quæ Galliarum Regis ſoror ſuſpicione non caruit maritum habuiſſe quam habere maluiſſe, fuitque graviſſimi id belli præſentis ſeminarium quo ſub tutelæ nomi-

nomine aſſueto regibus colore dominatio quæritur. At non Gallis eadem apud Rhetos gratia perſeveravit, qui eos finibus ſuis longe fœdiſſimo hoc anno abitu excedere coegerunt, quam illi ignominiam iactatis ingentem ſemper mutabilem, & libertatem ſuam ab eâ maxime virtute æſtimantem ingentibus congiariis ultro emiſsè viſi ſunt, faventibus Hiſpanis, ſed pari contra licitatione ſimilem haud dubie ſibi mercem præſtinantibus. Vinmarienſis traiecto ſupra Argentoratum Rheno magno novorum tumultuum terrore Germaniam implet, ſed Verdanus tandem Herwenſtanio ab extrema ino-

pia ad deditionem coacto victor ne porro progrederetur compeſcuit, pòſt quæ flumini inædificarat munimentis expulſum illis finibus omnino eiecit, at felicior ei fuga quã ſua Verdano victoria fuit, nam in opulentam Delſpergenſem vallem faucibus incolarum incuriâ neglectis penetrans liberalia hyberna habuit, Verdano Brisgoia deſerta, ſterilesque Hercinii ſaltus, & inania Sueviæ in præmium gloriæ ſimul & ſtipendium ceſſerunt. In Belgio Batavi Schenchiano munimento anno ſuperiori recepto Bredam non dimidio tot menſium ſpatio quibus ea urbs Spinulam fatigavit, Hiſpani Venloum & Rure-

mundam in duplum compenſata unius urbis iactura, cuius tamen permutationis Ollandos non pœnitebat, recuperant. Galli Damvillerium aliaque minoris nominis oppida in Lucenburgenſium, Atrebatium, & Hannoniæ finibus expugnant, domeſticam quoque ruſticorum ſeditionem in Pictavienſi agro experti, at non Richelio ingenium infra ruſticos, qui ſuperioribus annis Memoranſium & primaria nobilitatis capita eiſdem humoribus agitata miſſo à paucorum capite ſanguine curarit, ut non tunc quoque conſiliis manuque inconditam paganorum inſaniam compeſceret, idem Luſitani in

Regem ſuum auſi, ſed compoſiti tunc magis quam coerciti tempus illud crudæ adhuc rebellionis ſubſequentibus demum annis ad maturitatem perduxerunt.

## An. M. DC. XXXVIII.

Vinmarienſis refecto in Delſpergenſium faucibus pro libitu exercitu improviſo inde emergens per Baſileenſium fines, qui ſe ad reſiſtendum impares & mediarum partium fidem connivendo licet alteri tamen coli jactant ad Rhenum pervenit, eoque trajecto Sechingam, Valdshutum incolis quoque profugientibus vacua oppida, Lauffenburgam ubi, quod quærebat, inſignis

operis pons fluviũ jungebat, & vix digni nominis præſidium contra ac Verdano firmiorem ac ſuum militem eò imponere geſtienti affirmatum inerat ne majoris alendi præſidii neceſſitas quæ inde ad Briſaccenum præfectum Reinahium pecuniæ exactiones deferebantur minueret, terrore armorum occupat Rinfeldã ubi alter nõ minus firmus pons, operibus cingit. Vbi id in Bavaria & apud Cæſarem auditum, cõfeſtim Verdanus, Sabelli9, Sperreuterus, Enchefordius & Fûrſtenbergius emittũtur ut hoſtem trans Rhenum reiiciãt: nemo ex vulgo erat qui à tot ducibus rem non optime, ex rerum peritis iterum nullus

erat qui non peſſime geſtum
iri crederet habuitq; res præ-
damnatum à ratione & tot
priorum ſucceſſuum exem-
plis eventum. Vinmarienſis
eos adventantes quanquam
primo non ſuſtinuiſſet & Rin-
ſeldam coactus admiſiſſet,
poſtero die in eam negligẽti-
am effuſos tanquam ipſe nuſ-
quam eſſet audacter aggreſ-
ſus vix dimidiæ horæ ſpatio
exercitu toto fœdiſſimâ fuga
diſſipato omnes illos duces
excepto Fürſtenbergio qui
naviculã ad Rhenum nactus
aufugiẽdi habuit facultatem,
& pleroſq; præterea maiorũ
minorumq; ordinum ducto-
res capit, inde Rinſelda dedi-
tione receptâ totâ effuſus
Sueviâ & depopulato curſim

 agro

agro Wirtenbergico Friburgo Briſgoiæ armis capto lõginqua Briſaccum circumſidione commeatibus prohibendis, ubi ſciebat maiorẽ induſtria pecuniam, quam frumentum rerumq; ad longiorem obſidionem neceſſariarum invehendarum conſilia tractata, eſſe premere inſtituit. Evocatur ad res lapſas reſtituendas Ghezius Bavaricus Dux eique à Cæſare Sabellius, qui clam ex hoſtium manibus effugerat, adiungitur: duo iterum duces, duo diviſorum auſpiciorum exercitus fortunam ut apparet male geſtam quia plura uno capite rexerant, peius correxere, prope Wittenuiherium à multo mino-

ribus Vinmarienſibus copiis, cum Sabellius in primo, Ghezius in poſtremo, nec tamen ille ut hunc exſpectaret, hic ut illi ſuccurreret, agmine curaret, flagitioſâ magis quam damnoſâ fuga funduntur: tùm Briſaccum jam juſtæ obſidionis operibus cinctum. Sabellio, Lamboius, & Golzius uni duo (nullius rei minus pœnitebat) duces ſuffecti, ſed Ghezio parere juſſi. Compoſitum cum Lotharingo ac Mercio fuerat, ut eodē tempore hi cis illi trans Rhenum Vinmarienſia caſtra invaderent: illi die ex compacto obito, cunctante Ghezio facile ſuperantur, iſte quaſi res ibi perditas de induſtria ex-

ſpectaſſet per ſe caſtra adortus quanquam duobus jam munimentis à Lamboii milite expugnatis porro perrumpere proclive eſſet receptui cani juſſit & re infectâ tanquam hanc imperii teſſeram accepiſſet ut veniret, videret, fugeret retrò acto agmine Briſaccum indefenſum, ipſe juſſu Cęſaris à Bavaro in vincula datus, ſed poſt duos inde años ſine mulctâ dimiſſ9 ancipitē famam reliquit perfidiâne peccaſſet an ſocordiâ, quæ ei pro iñocentiâ ac forſitan pro ſapientiâ fuit. Ita munitiſſimũ oppidũ in hoſtis poteſtatē venit q; ipſe poſtea admiratus eſt qui à ſe capi, miranturq; nunc omnes qui amitti potuerit, cum eius ar-

cis

cis conſervandæ ſalus tot ſimul capitibus tam anxie curaretur, ſed hæc ipſa curatorũ multitudo cum alter alterum turbaret exitio nemoq; ſollicitus fuit, quod ſum̃æ ſalutis caput, ut convectis in anteceſſum copiis, lõgiori neceſſitati provideretur, id quidem Reinachius per ſe facere debuerat, ſed fama tenet uxorio illum quam ſuo magis imperio res adminiſtraſſe. Tanta Briſacci amittendi ſollicitudo fuit, ut res quoque Pomeranicæ negligerentur, quas Gallaſſius gerere juſſus conſiliorum affatim, ſubſidiorum nihil habuit, cum in Provinciâ invicẽ à ſe & ab hoſte evaſtatâ miles ſine ſtipendio ſine hybernis in diẽ & caſu vivere

çogeretur, nullâ re ad victitandum reliqua præter cænum & cælum, & eruta forte in ipſis devaſtatis agris defoſſi humo ab incolis frumenti vis exprobraſſet magis inopiam populatoribus ſuâ culpâ factam, quam ſublevaſſet. An Pannerius expeditis mari commeatibus non ſolum ſuſtentandi, ſed etiam augendi emendique militis (non ære id ſed ſolâ victûs copiâ præbitâ fiebat) facultatem habuit, ergo transfugiis Cæſarianorum & domeſticis è Suetiâ ſupplementis brevi exercitum viginti amplius millium militum eduxit, & Wolgaſtum ac Daminum uno tempore arctâ obſidione circumvallavit.

Vr-

Vrbem illam quam diu Webelius ſuſtẽtavit, ne ſpe quidem ſubſidii interſepto per longum terræ ſpatium aditu, hanc prope quidem adveniens verùm Peinæ fluvii cui inſidet præruptis ripis impeditus irritis Gallaſſius ſuppetiis, ſed convectis ante diſcrimen cibariis ita juvit, proſperiori famâ quam Briſaccum veteris illa hæc nuper partæ poſſeſſionis arx in annum inſequentem victorem diſtulerit hoſtem: æſtatem autem abſumſit, ut trajecto ſæpius ab altera in alteram partem Albi, quum Pannerius ſolis commeatibus qui eo duntaxat fluvio ſubvecti omnibus circa vaſtis deſertisque haberi po-

terant, interpellandis ſtuderet, nomine magis quam numero exercitus incolumi cõſervato nihil hoſti ignominiæ deberet, donec tandem hyeme ingruente fami cedere coactus militem noviſſimâ inopiâ conflictatum in Bohemiam hyematum reduxit. Lunæburgius hyberna Cæſarianis ab eo petentibus intrepide præcedit, jam dudum miſſo cum Suecis quaſi mediarũ partium ſequendarum conſilio: intellexit Gallaſſius quod qui talia tali tempore deliberant, haud dubiè deſciverunt, ergo ne paratâ perfidiæ occaſione, quæ maximũ eius maturandæ incitamentum, in medio hinc à Suecis hinc à Lunẽburgico deprehẽ-

ſus opprimeretur tanto magis ſe ſubducere feſtinavit: tùm Pannerius libero Albis tranſitu in Lunæburgicũ agrum ſine maleficio, ſed inde in Miſniam & Turingiam cum hoſtilium omnium cladium terrore tranſgreſſus receptis ad ſe Suedicis qui ad Viſurgim res curabant ducibus mediâ iterum Germaniâ victor impune volitans docuit efficaciſſimum ſervitutis telum eſſe, quos ſubiugare velis, dividere. Palatini liberi conſcripto Anglorum & Batavorum ope non contemnendi roboris milite Meppenam à Suecis venditam (adeo ne gratuita quidẽ, ſed magno ab exteris pretio redemta odia inter ſe Germani exercent)

omni copiarum genere replent, ut eam pro ſummâ belli arce & armamentario habeant, ſed urbs hæc improviſa eis invaſione intercepta, ipſi juſtâ deinde acie ab Hazfeldio cæſi, captus alter, alter profugus paternam fortunam veterum irarum admonitam potius quam ſatiatam longo infelicis familiæ infortunio ſenſerunt. *Hiſpani* in Italiâ inſignem Bremii à Gallis intra fines ſuos inædificatam munitionem, mox Vercellas urbem validiſſimam ad externum quoque hoſtem arcendum circumvallatam, quæ opera Galli bis fruſtra transgredi conati, iisdem artibus quibus illi tot celebres Belgii

urbes à Batavis ereptas ſibi vidêre, maiore adverſus oppugnaturos quam oppugnādos hoſtes diligentiâ capiunt. Profuit eis & in Belgio cunctatione, ad quam naturâ inclinant, omiſsâ Batavos Calloenſi novo præſidio in ipſas Antverpiæ cervices moliendo illaborantes inchoatâ ſtatim re invaſiſſe, parique & animo & conſilio Geldriam urbem ab eisdem obſeſſam non dato circumvallandi ſpatio junctis Lamboio duce Cæſariis legionibus hoſte magnâ clade fugato liberant, eademque eis fortuna adverſus Gallos Audomarum & Hesdinum obſidentes adfuit, nam & tunc Cæſario milite Piccolomi-
 nio,

nio ductore opitulante, ſua egregie tutati auxiliatoris res ſummo in diſcrimine reliquerunt. Gallus tot poſt annos quæſitum longo matrimonio filium hoc anno natum ultra mortale gaudiũ accepit, magna haud dubie Galliæ bono ex certa jam Regni ſucceſſione, quam fratres impatientius ac liberi exſpectant.

## An. M. DC. XXXIX.

SOlutis omnium Circulorum Imperii conventibus quos fine anni ſuperioris Cæſar indici juſſerat decreta publicantur, quâ ſtipendii ſummâ, quibusque in locis ut æquum omnes onus ſuſtineant, miles hybernet: audita à longo intervallo inter arma

legum

legum vox ſtatim conticuit, & Commiſſarii arbitrio ſuo ut ſemperRempublicam tanquam hæreditatem partiti leges laudabant, ſed neceſſitatem unicum hodie potentiorum telum quæ ipſi ferre nequeant, aliis imponendi, legibus anteponebant. Pannerius in Miſniâ Saliſſium Cæſarium ducem Galaſſii in hybernia euntis agmen tardius aſſequentem procellæ in morem obtritis quas regebat legionibus capit, ab eâ pugnâ victor Saxoniam iterum totam depopulando Zuichaviam ſubigit, ſed à Fribergæ nõ infirmæ urbis oppugnatione repulſus fiduciam dedit Marazinio alteri Cæſariano duci vindicãdę prioris ignominię.

ergo

ergo inconſulto Gallaſſio, nedum exſpectato (cuius ſe gloriam eo facto exæquaturum ſperabat, communicatam cum ſuperiore pro amiſsâ reputans) in hoſtem, cui interea evocatæ à Viſurgi copiæ ſuæ ſupervenerant ignaris Cæſarianis & omne victoriæ momentum in earum abſentiâ verti ratis, inexploratò ducit, à quo gnaro quanta confidentia veniret exceptus ac brevi certamine victus exercitum fœda clade amiſſum fœdiore fuga deſerit, uti omnis arrogantia nec ad officium ſuum ante diſcrimen ferox, nec in fuga pavida ad decus ſuum reſpicit, & ille tamen pòſt impunitus veluti innocens ſuperſuit:

fugien-

fugientis veſtigia Pannerium in mediæ Boemiæ viſcera induxere, ubi ille Leimarizio, Brandiſio oppidisque circumjectis potitus ipſis Pragæ mœnibus juſtæ ſæpe oppugnationis terrorem oſtentando, ac libero in Moraviam & Auſtriam ipſam, ſi fortunæ ſuæ inſiſtere voluiſſet, penetrandi aditu Imperatorem coegit omnia ſimul propinqua ac longinqua circumſpicere ſubſidia. Bavarus petendis ſuppetiis proximus erat milite jam ſuo longis hybernis à præteritæ expeditionis infortuniis ſatis refecto, ſed is ſuo ipſe diſcrimine anxius, quippe populatores hoſtium in Palatinatu ſuperiore jam paſſim con-

conſpici nunciabantur, dum inter ferendum differendumque auxilium dubitat, hoſte ab eadem ipſa dubitatione promti à tergo ultoris ſi victoriæ rectâ inſiſteret, & diſtento & ambigente ſpatium dedit ſuas interim Hazfeldio in Boemiam è Weſtphaliâ traducendi copias, cuius adventu res ita confirmatæ ut tamen urbibus duntaxat defendendis hoſtem ſe Cæſariani ſuſtentaturos ſperarent, is enim & ipſe eò tendebat locis quæ ceperat ſumma induſtria permuniendis & fœdum interea in modum quocunq; ſe extendere poterat Bohemiam devaſtãdo (ſæpius una nocte plura quam cẽtum arcium, pagorum urbiumq; ac

vicorum incendia numerare licuit)ut quam diu poſſet ſedem belli in gentiliũ Cæſaris Provinciarũ ſolo haberet: novo itaque ad eum penitus exigendũ & duce & exercitu opus fuit ac ſummæ rei militaris præpoſitus Leopoldus Imp.frater additusque ei qui ſpecie obſequii regeret Teutonicus Magiſter (Gallaſſius miſſionem impetravit, dubium pronitius ne datam an acceptam) exercitũ Piccolominius è Belgio adduxit, ubi inſignis ei hoc anno à Gallis Theonuillæ obſidione pulſis victoria contigerat, quam in ipſam Galliã ferente fortunâ Hiſpani interpellarunt Heſdino ab alio Gallorum exercitu circumſeſſo auxilium oran-

orantes, ſed priusquam eò veniret urbs in hoſtium poteſtate, ipſe nec quam omiſerat, nec quam ſecutus fuerat, rei compos fuit, ſed dum omnia hæc in Regiâ Cæſ. conſultantur, deliberantur, facta conſultis junguntur, præſens ſe totus circumegit annus, & inſequens demum documentum dedit, quam benè Cæſar petito ſà domo ſuâ ſupremi armorum regiminis auſpicio res gerendas quibus ipſe præeſſe nollet, fratri permiſerit. Sueci, Damino hoc anno longam per inopiam recuperato, Pomeraniam in iuſtæ Regni Suecici Provinciæ formam redigunt, extinctâ quidem priorum Ducum ſtirpe iure
ad

Brandenburgicos devolutam, ſed victoria id Suecis tranſcripſit nullo novo exemplo, ut quod quis aliis opitulandi prætextu ſuum fecit, ſuum & nuncupet & ſperabant, ut à Germanis cõceſſum olim externis ſit de Pruſſia, ſic ſe Pomeraniam & in pace habituros, pari fere ex causâ Briſacci poſſeſſio Gallos & Vinmarienſem dum eam uterq; ad ſe trahit non obſcura ſimultate diſtraxit, illis plus in auro quod à ſe ſuppeditatum, iſto plus in virtute qua rem confeciſſet, pretii jurisque ineſſe autumantibus: evocatus ille quidem ſæpe in Gallias magna præmiorum ſpe, ſed pro ſtulto reputans qui ſuæ poteſta-

tis eſſet, alienæ ut fieret nihi-
lo ſecus tamen Galli miles,
at non ſatelles eſſe perſevera-
vit, eiusque juſſu Burgundi-
am aggreſſus Pontarlino ca-
pto incolis omnibus flammâ
ferroq; trucidatis, (ſeu ad ju-
bendum ei ſcelus animus ſuf-
fecit, ſeu ad vetãdum defuit)
extremam hanc nomini ſuo
immanitatis labem impoſuit,
nam dum novam in Germa-
niam expeditionem medita-
tur paulo poſt peſte ſive quo
alio lethi genere periit, nec
enim defuit qui veneno inter-
ceptum crederet atrociore
ſemper rumore erga eorum
virorũ exitus, qui non ſolum
hoſtes à magnis injuriis, ſed
etiam amicos ab immodicis
vel opibus vel meritis, quibus
pro

pro gratiâ odium rependitur, ita affectos habent, ut quos perferre nolint, efferre deſiderent: qui extinctũ jactantiſſime luxerunt, cum ſoli ex eius morte compendiũ ceperint, ſuſpicionem præbuerunt quæ captaſſent habere quam exſpectare, & incerta mutationum amiciq; pœnitentiam properatâ cõpendii poſſeſſione prȩvenire maluiſſe. Primores Vinmarienſiũ caſtrorum amiſſo capite diſcordes dum alter alteri parere recuſat, tandem in eo cõcordes fuere, ut Briſaccum, ſe ipſos, fuſum fundendumq; ſanguinem, ac domini prioris memoriam Gallico auro venderent, milite cui neq; boni intellectus, nec mali cura duces bellum-

que

que ſequente. Tantum Gal-
lis in eo ſitum fuit ne copiæ
illæ caput haberent, ut Pa-
latini filium ex Angliâ ad eas
properantem veriti, ne ſi ille
exercitum pronum occupā-
ti invaſiſſet, res ſuas cum Cę-
ſare neglectis ſe compone-
ret, contra fidem gentium in
itinere exceptum longâ cu-
ſtodiâ detinuerunt, nec in-
juriam eam Anglus ad quem
præcipue pertinebat niſi in-
ani rumore conqueſtus eſt
domeſticâ Scotorum rebel-
lione ſollicitus, qui nec toti
ſervituti nec toti libertati
aſſueti facilem dant mate-
riam externis; ac maxime
Gallis res Anglicas turbare
molientibus. Bavaricus ex-
ercitus quamvis ſtatim à
mor-

morte Vinmarienſis magnarum ſi vellet rerum occaſio invitaret, Rhenum traiicere cunctabundus cum interea compoſitis Galli cum Vinmarienſibus tranſitionis pactis Palatinatum invaſiſſent, nec ille tamen vel tum impediſſet, ne locis aliquot ibi commodis potiti, etiam Rheno ipſo ſuperato in mediæ Germaniæ intimo Wetteraviæ ſinu hyberna occuparét, multũ ſiniſtri rumoris & ſuſpicacis ſilentii præbuit Galli acceptũ ſuperiori año in Hiſpaniâ dedecus Fonterabia Cantabrica urbe terrâ marique obſeſſa cum totius exercitus caſtrorumque excidio repulſi, hoc anno rurſus abolere, & Salſas mediterraneæ



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0243-5

oræ arcem Occitaniæ Provinciæ ſuæ non ſecus atq; oculis innatum ulcus iam dudum excindere cupiẽtes magno rerum apparatu diu oppugnatam capiunt. Fortuna vertit conſiliũ, Galloſq; poſt eventum magis iuvit habere quam evertere arcẽ ſibi quoque iam poſſidentibus opportunam ſed brevem iterum hũc eis victoriæ fructum reddidere Hiſpani, maximiſq; & ipſi apparatibus, quorum vix dimidia pars, ſi in tempore inſtructi fuiſſent, ad conſervandum locum ſuffecerat, amiſſum Gallis extorquent, nec verò Hiſpanis ipſis diuturnam lætitiam Catelanorum, quorum in finibus ea arx, tumultuantium, poſt rebellan-

bellantium, inde aperte deſciſcentium fecit defectio. quæ adulteratæ veterum Gothorum Alanorumque reliquię dum non tolerant iniurias, quas hybernantes apud eos milites nec præſcriptum ſtipendium accipientes (adeo illa tot toto terrarum orbe obſtetricandi bellis neceſſitas inexhauſtiſſimum etiam Hiſpanicæ Regię ærarium evacuerat) iure quodam ſuo ut alibi in Provinciales uſurpabant, remedium multis fruſtra querelis in aulâ quæſitum ex bello invenere.

## An. M. DC. XL.

LEopoldus Cæſaris frater receptis ad ſe Piccolominii legionibus viribusque

ita auctis, ut non ultra captivæ hoſtem inſultare Bohemiæ patiendum videretur, ad prima & dubia ſigna veris in eum movet Königsgratio propinquó Pragæ non contemnendo oppido haud longis ante temporibus capto ſi id ei validius, quod magno ſtudio faciebat, emuniendi tempus cōceſſum fuiſſet, longum in eadem ſede & difficile beſlum facere moliētem: excepit expeditionē non dilato rei agendi tempore, & prono momēto quod plerūque qui prior aggreditur habet, à duce novi decoris avido properatā prædamnatus virtuti Auſtriacæ, & raro nō ſecundus, quādo ipſa in rem præſentem venit, fortunæ eventus.

ventus, oppidumq; illud pri-
mo impetu recuperatũ, tan-
tũ in omnes Pannerii copias
terrorem vulgavit, ut à pu-
gnando ad convaſandũ con-
verſâ cura (nec enim ſubitæ
profectioni apta tot totâ de-
ſolatâ Bohemiâ comporta-
tarum rerũ moles) mox au-
ditâ Brandiſii expugnatione,
ne convaſandi quidem ex-
ſpectato tempore, ſed raptim
aſportatis, quæ impedimenti
minus adferrent, Leitmari-
zio & reliquis quas occupa-
verant urbibus cum ipſo cõ-
meatu, quem ducendo bello
cõvexerant, deſertis ad con-
fines Miſniæ Bohemiæq; mõ-
tes ſe reciperent locorũ in-
genio tantiſper dum prædam
in tutum præmitterent, ſe



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0247-7

tutaturi: inhærebat fugientium tergis Cæſarius miles, nihilque ſibi ad ceſſandũ temporis indulgens novo diuque exſpectato duci, qui ſpem magni nominis tam læto principio impletum ibat virtutem gloriæ eius inſervientem magno ubiq; ardore approbare ſatagebat, nil igitur antecapti Suecis montes niſi ad fugã tutius perſequendam profuere, magnam tamẽ impedimentorum partem aut igne corrumpere aut hoſti cedere coactis, atq; ita paucorum dierum ſpatio, quod multorum menſium quamvis proſperæ fortunæ opus etiam periti rerum fore opinabantur, tota ab hoſtilibus armis purgata Bohemia bellum

in

in Miſniam tranſmiſit: eam ingreſſus Cæſarius exercitus electiſſimis Pannerii equitum turmis, quas Pfulius ducebat. equeſtri turbine ab alariis an-tecurſoribus protritis, Suecum cunctantem nec tantam in hoſte celeritatem providẽtem admonuit, ut graviori, quę inſtabat imminentium quoq; legionum, tempeſtati è Miſniâ ſe in Turingiã ſubduceret, ubi fugientẽ Gallię Lõgevillano duce & Vinmarienſium copiarum reliquię exceperunt, Haſſi quoque à tergo erant & Lunæbürgici illi ſuarum haud dubie partium fœminâ liberorum tutrice & mariti teſtamento & ſuâ ſponte iam dudum Gallico auro & Suedicâ factione ad

perpetuanda turbandarum rerum conſilia arctius quam exſolvi poſſet, illigatâ, de Luneburgicis quib9 adhuc neutri partium addictis utrum vellēt liceret, meliora Cæſariani ſperabant occupaturos eos hanc quæ in manu ſempiternæ occaſionē gloriæ, ut iunctis nunc maxime opportuno & forſan nunquam redituro rerū finiendarū tempore cū reliquo Rom. Imp. corpore conſiliis ac viribus tam diu optatā ab hoſtibus, Suedicis præſertim non alienis ſi maior eos vis apud Gallos excuſatos redderet, pacē aut ab invitis maturam ſtabilemq; victoriam parere, & tandē aliquando unà debellare adiuvarent: ſed prævaluere

here inimica Germaniæ fa-
ta, & Lunæburgicus Suedici
ſatellitis ſatrapa, & Prætorii
eius aſſecla (nam quidquid
gerendũ, & ab auſpicio eius
& in famam Suedici nominis
cedebat) quam ſibi, maiori-
busq; ſuis, & tot conſangui-
neis Principibus, quos perpe-
tuo magni beneficii auctora-
mento ſibi obnoxios facere
poterat, magis quam ut ſe
ipſe exteri dominatus mãci-
piũ fieri pateretur, ſimilis eſ-
ſe maluit, nec color eũ ſuus
quaſi expertas Cæſarii mili-
tis rapinas exhorrerit à gra-
viſſimâ, quã eo facto meruit,
famâ vindicat, nam idem ei
& qualecunq; aliud aſciti vel
ſocii, vel quod veriꝰ, domini
ingenium perferendum, &

quod ab alio neceſſitate coa-
cto, nec diutius quam ipſemet
in alias terras bellum à ſe ex-
oneraſſet, forte paſſus fuiſſet,
idipſum ex alterius magis an-
cipiti libidine non forte, ſed
certe metuendum erit. Lune-
burgicis ergo & Haſſicis au-
ctus ſubſidiis Pannerius iam
ultro in Cæſarianos ſe ob-
vertit obtriturum ſe eos tot
novis ad veterẽ adiunctis ex-
ercitibus haud quaquam am-
bigens, ſed illi, in munitis Salæ
fluvii ripis caſtra metante Pic-
colominio peritiſſimo locorũ
capiendorum duce, tales ſe o-
ſtendere, ut ipſe quoque æqui
loci certamini diffidens, ſtati-
va ſtativis conferret ſatis in
pręſentiâ ratus ſine quo illi
progrederentur, tenuiſſet tan-
dem

dem pabuli aquarumque pe-
nuriâ priorè locis occupatis
exceſſit: tendebant in Fran-
coniâ Bavaricæ ſeparatim â
Cæſarianis copiæ, has ſe ſolas
& neglectas oppreſſurũ ſpe-
rans, magnâ eò celeritate mo-
vit, ſed intentâ illic omnia cu-
râ cuſtodita reperit, (hæc
Mercii qui caſtris Bavaricis
præerat ſemper ſtrenui tunc
& cauti, quod ad id tempus
in eo deſideratum, militis
laus fuit) & Cęſariani in tem-
pore totis viribus ſubſidio
profecti adfuere, itaq; ne non
ſuis locis deprehenſus pugna-
re cogeretur retro in Haſſiã
flexit: ſequitur iunctus Bava-
ro Cæſarianus, certus prælio
experiri ſi ęquâ conditione
ſui copiam hoſtis præberet,

at ille bellum habere quam finire malebat, nec cogi poterat (quamvis ſæpe oſtentandæ rei cauſâ, nunquam tamen niſi iniquo Cæſaris loco in aciē eduxiſſet) à tergo duabus Haſſiæ firmiſſimis arcibus, à latere Viſurgi & tot munitis ei fluvio impoſitis præſidiis tutus, ita æſtatis maior abſumpta pars, pugnandi à Cæſarianis deſiderio, ab hoſtibus contrà fruſtrāda omni niſi certâ victoriâ cōmittendę rei facultate. Inopia in ambobus caſtris maxima, maior apud Cæſarianos & facere eam & pati aſſuetos, nec mirum in tantâ inutilis turbæ, tùm militiæ præpoſitorū, cum plures fere eſſent qui ducerent, quā qui duce-

ducerentur, multitudine, ſed mira militis & vix credibilis tolerantia Ducis ſui aſpectu, qui eadem tolerando exemplum ſimul præbebat & animum ad meliorum rerũ fiduciam, iamq; hyemis im̃inebat & propinqua hybernorum, unica poſt ſtipendia ordinatim ſolvi deſita militis ſpes, illud premebat in hoſtico ut haberi poſſent. Proximæ Brunſuicẽſes ab aliquot iam annis intactæ bello regiones & tum hoſtilia agitantes ſuper cupiditatẽ irâ accenſam opportunam reliquo quoq; bello ſedem oſtentabant, ſed Viſurgis ſuperandus erat, & in eo rerum ſum̃a vertebat, placuit ergo experiri negotium ꝙ Hazfeldius Hûxterio

urbe, ubi pons flumen iungit, valido licet præſidio inſeſſâ, ſed ſi tormentorum apparatus in tempore adfuiſſet, vim ut poſt patuit non moraturâ, ſtrenue expugnandâ feliciter auſpicatus, uno tamen die tormẽtis morantibus (ſeu res ipſa, ſeu eorum quibus commiſſa erat diligentia quod Hazfeldius poſtea incuſavit, lentior extitit) hoſti poſterior fuit, qui comperto Cęſarianorũ conſilio, fluvio raptim traiecto, (nam Munda ſui inde haud procul diſtans urbs ac pons præſidii expeditũ tranſitum dabat) montes oppoſitæ Hûxterio ripæ im̃inentes validis primo ſtationib9 mox tormentis quoq; adductis firmare maturans, Cæſarianos

iniqui-

iniqui per ſe loci tùm & ab hoſtibus inſeſſi ſuperandi difficultate coegit confracto, qui nulli iam uſui, ponte irritas ſpes ſuas retro relegere, & hyberna ab amicis aſſignanda exſpectare: nec hoſtis defuit abeuntiũ tergis inſiſtere, à quo Bredavius ſtrenuus equitum dux inſidiis exceptus, & magnâ cum turmalium ſuorum manu occiſus funeſtum expeditionis añiq; huius finem Cæſarianis fecit. Idem in Italiâ ſidus Hiſpanos afflixit, año quidem ſuperiore maiori Pedemontii parte tum ſuis, tum Thomę Sabaudi auſpiciis (frater hic Ducis nuper defuncti liberos eius, & ſi quid eis humanitus contigiſſet iam proximum

ſucceſ-

ſucceſſionis ſuum ius Gallicæ tutelæ fiduciæ haud ſatis tuto credi arbitrabatur) occupatâ, inter quæ urbs ipſa Taurinum, præter arcem tamen Gallico præſidio inſeſſam fuit, nulla adverſæ rei offēſione perpetuo victores, ſed hoc āño urbem Caſalenſem (infauſtum nomen, at rebus tùm ad votū fluentibus brevi ex nefaſto fortunatum fore ſperabant) obſidentes in propinquâ expugnandi ſpe repente à Gallis Harcourtio duce, ad quem Monferratenſium Provincialium voluntariæ multæ catervæ è loco propinquo, & præſens aurū, ad rem tam præcipitē ſiſtendam potentius ferro remedium, ad manū habente occulte

culte conductæ ſe aggregarant, oppreſſi caſtriſque & impedimentis omnibus exuti, fine anni Taurinum quoq; quamvis variis omnis generis incæptis urbem liberare ſtuduiſſent, ab eisdem Gallis recuperatum viderũt. Iidem & in Germaniâ de Briſacco & Alſatiâ invadendâ aliquid ſomniantes, ſed copiis, quas huic expeditioni deſtinatas Cæſar ad ipſum caput rerum in fratris Archiducis caſtra revocarat, deſtituti multa agendo nihil agentes maius dedecus quam damnũ, ſed in Belgio inſigne vulnus acceperunt, Atrebatiũ urbe, quia tardius ſuccurrẽtes circumvallari paſſi, à Gallis captâ, magnâ, ſed tam im̃odica ho-

rum

rum gloriâ, quaſi iam nihil ſuperſit q̃ ut diſpiciant Galliæ quem virium ſuarum terminum velint. Medio anni Imperator Ordinũ Imperii comitia Ratisbonã indixit, quæ magna exſpectatione & frequenti magis tamen legatorũ q̃ Principum conventu obita, nunc quoq; ſuſpenſos totius orbis animos tenent, quis eorum ab adverſo vel propitio Numinis nutu eventus Germaniam maneat. Inter præcipuas, quę adhuc definitæ actiones decreta omnium prę teritis bellis latarum illatarumque iniuriarum obliviones haud dubie ſalubris, ſi tam in noſtrâ poteſtate obliviſci eſſet quam tacere: ſed ſi hoc pretio quod quæritur Pax re-

conci-

concilietur, imperabit abſque dubio ſibi quiſq;, ut tum primum ſe natum arbitretur.

## An. M. DC. XLI.

VIx ſe Cæſariani in hyberna receperant, quæ ex vtilitate paucorum magis quam æquo partita iure pleraque ab hoſte longius aberant, cum exinde Pañerius reſtauratis in agro Brunſvicenſi viribus animum cepit per Miſniam & Voitlandiam in Palatinatu ſuperiori, vbi Chambium ignaviâ præſidiariorum ſtatim ei ſe dedidit, mox ſub ipſis Ratisbonæ mœnibus ſeſe oſtentandi, eoque terrore comitia illic conſcripta, quod ſolum labentis Imperii ſuſtentaculum ſubruendum ſupere-

pererat, disjiciendi, ſed magno Imperator animo & reſtitit ipſe intrepidus, & ſuo exemplo reliquos continuit ne morientis Reip. curã exitiosâ & ultimâ fugâ deſererent. Vrbs interea idoneo inſtruitur præſidio, quo illa primo advẽtu hoſtiũ carebat (magno diſcrimine, ſi omiſſis illi populationibus quas totâ Franconiâ percursâ in ipſam Sueviam pertulerũt occaſionem uſurpaſſent Imperatorem, Aulamq; omnẽ & Imperii Ordines aut profugos illinc cum dedecore exigendi, aut immorari auſuros nullis audito ſeculis exemplo captivos in triumpho deducẽdi) nec miles Cæſarius ex hybernis coire cũctatur, iamq;

novum

novum ex Auſtriâ quoque evocatarum legionum robur aderat, quas Ghelenius ducebat, reliquum exercitum Piccolomineus ac Mercius: ſparſæ erant & hoſtium copiæ, Vinmarienſes in Franconiâ prædam ſequebantur, Pannerius Chambii delectâ illic belli ſede ſubſtiterat, Schlangius equitũ præfectus Neoburgi à Bohemicæ haud procul ſilvæ principio tendebat, hunc toto exercitu circumdatũ, in infirmo tamen oppidulo aliquãdiu reſiſtere auſum cum turmis omnibus equitũ quas habebat Piccolominius deditione capit, cũ eodem tempore Ghelenius hoſti à tergo ingrués Chambium verſus moveret, unde

Pan-

Pannerius compertá Schlangii clade propere ſe in Bohemiã proripit, premente à tergo Ghelenio, reliquis, ut fugæ exitu intercluderẽt, ſe à fronte objicere contendentibus: erat haud dubie in manibus Pannerius & toto cum exercitu deleri poterat, ſed dum illi aut tardius moliuntur, aut commodiora magis itinera ꝗ̃ hoſtem quærunt, bellare forſan quam debellare malentes, aut quivis ad ſe ſum̃æ rei decus trahit, nactus eſt ille facultatem illæſo in Miſniam evadendi agmine, certâ apud Cęſareanos finiendi aliquando belli fiduciâ pòſt in rei infectę ſenſum maiori cum dolore converſâ, quia tam prope ab effectu remota fefellit:

facile

facile ſcitu erat per quem ſtetiſſet, ut tam præclarus triumphus Imperatori è conſpectu eriperetur, ſed ſolitâ facilitate nec in rem præſentem itum, nec in præteritam, ne animadvertendum eſſet, inquiſitum. Hoſti in Miſniam, ubi iterum Vinmarienſes ſe ei iunxerunt, regreſſo ſtrenuè Cæſariani incumbere perſeverarunt, & Salam fluvium fruſtra illo impedire conante ſuperãtes, nunc circa Halberſtadię mœnia hęrent, ubi Pannerius morbo extinctꝰ, extremâ ſuos oratione vehementer ad pacem cum Rom. Imp. componendam adhortatus eſſe dicitur, conſcientiáne an affectandâ etiã ad hoſtes gloriâ, cum ſuis bello gerendo

egregie ſatisfeciſſet quaſi illis pace ſuadēdâ prodeſſe voluiſſet. Paulo ante Georgius quoque Lunæburgicus fatis conceſſit VVolfenbuttelia iisdem quibus olim Papenhemius obſtruendo fluvii alveo operibus expugnavit, recuperandæ intentus, cuius ſi eadem quæ Pañerii morientis mens fuit, ſuiq; illam ſequuntur, plus Germania defuncto quam viventi debebit. Lotharingius compoſitis cum Gallo rebus, magnâ veteres amicos neceſſitate ſubmittendi quotannis novi exercitus quem ille nihil ultra quem amittat, liberat, nec ei invident, ſi eodē apud Gallos quo frater ipſe Regis honore ſit futurus. Luſitani repetitâ

titâ ſuperiorum annorum rebellione novũ ſibi Regem legunt Bragantiæ ducem primæ inter eos nobilitatis, & à veterum quoque Regum ſanguine non alienum, miram illic & inſignem fabulam, cum Catelani non minus pertinaciter perduellioni ſuæ incumbant, dare meditante fortunâ, quando iam ducatus, imperiaque, ac regna ludit, magis exitioſa quibus ea aſſignat, quam quibus eripit. Ratisbonæ comitiis pacis aliquâ tandem ratione reperiundæ deſiderio illaboratur magnâ ſollicitudine, ſed illa in hoſtium arbitrio, quibus tum cordi erit, cum Germanis bellũ vertere quâ omnibus olim genti-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0267-8

bus præſtiterunt, diſciplinã gerendum cordi erit, nunc exteri eam laudem occupant, horum inimicitiis facile ſe Germania exſolvet, cum & amicitiis ſe illorum abſolverit; internam pacem ſtabiliet libertas cum modo, Religio ex prȩſcripto legũm, ſupremi magiſtratus reverentia cum obſequio uſurpata. Quemadmodum, ut Politicorum ſcitum habet, plerunque cum Principe Fortuna mutari ſolet; ſic quoq; fortuna Suedicorum à Panerii obitu aliquantulum nutare cœpit. Nam in Saxonia Quedlenburgum, Bernſburgum, Querfurtum, Cygnæa & loca nonnulla alia in manus Cæſareanorum venerunt;

runt; cæſo quoque in conflictu Ioanne Ludovico, Rheni Comite: Adduxit tamen, menſe Maio Kagius, is, qui Ratisbonam olim cum præſidio tenuit, & contra exercitum Imp. defendit, novem legiones ex Suedia, quibus copias labeſcentes firmavit, ſequuto poſt menſe Octobri Torſtenſohnio: quò tempore Londini VVilielmus Auraſienſis Princeps, cum Maria, filia regia matrimonio coniunctus eſt, dubium maiori Hollandorum commodo an detrimento: Nondum enim incendium Hyberno-Anglicarū diſcordiarum reſtinctum fuit, quin potius, licet ſumto de Vice-Rege Hybernico capitis ſup-

plicio, magis magisque invaluit, inque perniciosiſſimam tandem graviſſimorũ odiorum & aperti inter Regem & Senatum regium belli flammam exarſit. Hollandi, ut ipſi quoque in Tragœdia ſuas partes agerent, & ſalſam colerent vicinitatem, Gennepam, fortiſſimum ad Moſam propugnaculum, validâ circumſidione cinxerunt, nec prius, quam facta deditione, quæ menſe Iulio honeſtis conditionibus, ſequuta eſt, diſceſſerunt: quò ipſo tempore etiam Aria, Arteſiæ oppidum munitiſſimum, quod Liſa flumen interluit, à Gallis occupatum eſt, Lamboie licet & Beckio, fortiſſimis Ducibus id prohibere

hibere conantibus. Ante verò, quam hoc in Germania inferiore geſtum fuit, inter Cæſareanos & Suedicos ad Wolfenbutteliam calidè admodum pugnatum eſt; quo in conflictu amplius duo millia Cæſareanorum occiſa, totidemque cum triginta ſignis capta fuerunt. Conſultatum eſt in Anglia de Palatino in Principatum reſtituendo deque Legato eam ob rem ad Comitia Ratisponenſia mittendo: ad quod obtinendum Rex ipſe ſcriptum edidit, univerſo Senatu regio in eam ſententiam eunte, ſuisq; ſuffragiis confirmante. Ad Tarragonam rem malè geſſerunt Hiſpani ſubmiſſis à Condæo ex præ-

ſidiis, & Claſſe Hiſpanica in portu Tarraconenſi cæſa. Quam tamen Gallorum felicitatem paulò poſt caſus adverſus turbavit. Siquidem Comes Soyſſonius & Bullionius, acceptis ad Sedanum copiis auxiliatricibus, Chattilonium Gallorum Ducem adorti, non tantùm ab urbis obſidione repulerunt, ſed ingenti etiam clade affecerũt, occiſis amplius millenis Gallorum, inter quos etiam fuit ipſius Chattilonii filius, captis verò amplius mille & quingentis, cum impedimẽtis omnibus & immenſa pecuniæ ſumma: ipſo tamen Soyſſonio, pilâ plumbea per caput adacta, cum octingentis militibus occiſo. In Sile-
ſia

ſia Saxonici Cæſareanis cõiuncti Gorlitium, præcipuum Luſatiæ ſuperioris oppidum, obſidere cœperũt, maſculè illud defendente Wankio, duce fortiſſimo: qui, omnibus licet Cæſareanorum copiis diverſis in locis oppugnantibus, admirãda tamen animi magnitudine, obſidionem in ipſum uſq; Septembrem ſuſtinuit, famam meritus & laudem præclariſſimi & ſtrenuiſſimi Ducis: quô die liber ipſi cum præſidio exceſſus ex urbe datus fuit. In Saxonia Oſterwicum, Goſlaria, Hornburgum & alia quædam cæſis quadringentis equitibus Kônigsmarkianis, in Cæſareanorum poteſtatem pervenerunt. VVol-

ſenbutteliana obſidio, per aliquot hactenus menſes à Suedicis continuata, parum feliciter ſucceſſit, accedentibus ad maxima, quæ ab obſeſſis acceperant damna, Luneburgenſium & Vinmarienſium diſſenſionibus qui acriter inter ſeſe contenderunt, utris caſtri necdum expugnati, poſſeſſio deberetur. Hoc nimirum erat urſinam vendere ante confixum urſum. Benigniore tamen paulò poſt fortunâ uſi ſunt confœderati Suedici. Reſciverat Broyus, Suedicos pabulatum ex caſtris exiiſſe, itaque de opprimendis illis cogitationes ſuſcepit, & bis millenis equitibus iisdem inſidiatus eſt. Sed conſilium eius dete-

ctum eſt, & ingruentibus maximo numero hoſtibus potiſſima pars Cæſareanorum occiſa, reliqui verò in fugam coniecti ſunt. Capti fuerũt Leonſtenius & Goldakerus Duces, inter reliquos, primi, cum octingentis, equitibus & hippotoxotis: ex Suedico autem exercitu occubuerunt ducenti, deſideratis Naſſovio Comite & Mûllero, Ducibus fortiſſimis. Irruperunt hoc tempore Galli in Flandriam, occupatisque nonnullis locis præcipuis, ingenti clade univerſam illam Regionem affecerunt, potiti, Baſſæa, urbe nobiliſſima, atque omnibus rebus ad defenſionem neceſſariis inſtructiſſima, Franci-

ſco de Melo interim, Arien-ſe oppidum, validiſſima ob-ſidione cingente. Duranti-bus verò Ratisbonæ Comi-tiis, à Cæſ. Maieſtate Edi-ctum promulgatum & ſtati-bus atque ordinibus Imperii traditum eſt, de Amniſtia: quod literis publicis dein-ceps commiſſum fuit: non ceſſantibus adhuc dum Sue-dicis Wolffenbutteliam, qui-buſcunque viribus oppugna-re: dum obiectis plurimis aggeribus & obſtructo flu-minis alveo, perfecerunt, ut aqua nonnullis in locis ad ſex uſque cubitos intume-ſceret: quâ inundatione æ-dificia & ſubſtructiones ali-quot collapſæ ſunt. Paulo tamen poſt, non absque ad-

mira-

miratione & præter multorum ſpem atque expectationem, obſidio illa, periculi & ſumptuum, ut videbatur pleniſſima, ſoluta fuit, avocante Principe Luneburgenſi ab exercitu copias ſuas, diſcedente à fœdere & in partes Cæſaris tranſire, vel certè à bello deinceps abſtinere, cogitante. Atque ſic literis illis non ita pridem ad Cæſarem, ſatis quidem aculeatis, ſpongia inducta eſt. His ita geſtis Ratisbonæ, Comitiis mox diſſolvendis, poſtremò deliberatum fuit, de tributis porrò, in uſus militares conſtruendis exigendisque; de bello continuando; deque dimittendis ex quam multis urbibus Imperialibus præſi-

diis & Gubernatoribus. Poſt quæ, ſub Octobris initium Cæſarea Maieſtas Ratisbona diſceſſit, atque ſecundo flumine, cum Aula univerſa, Viennam reverſus eſt, comitantibus eum ad ripam Danubii, Principum Legatis atque Senatu urbis & exploſis ab omnibus propugnaculis & turribus machinis fulminatricibus. Quò menſe, Haſſiaci in Archiepiſcopatum Colonienſem irruperunt, mox verò iterũ datis utrinque & acceptis damnis, receſſerunt. In Saxonia Einbeccum à Cæſareanis oppugnatum & coniectis in urbem ignibus ad deditionem coactus eſt, excitato in urbe horrendo, admodum incen-

dio,

dio, quò quarta fermè pars eius exuſta inque cineres redacta fuit. Et quanquam cæſo & profligato, Roſa equitum Suedicorum Ductore Piccolomineus Gôttingam obſederat, omnibus viribus eam oppugnans: paulò tamen poſt, cum de acceſſu Torſtenſohnii auditum eſt, obſidionem ſolvit, reque infectâ diſceſſit. In Suevia interim magnam animo ſpem conceperat Sparrius, de ſubigendo occupandoque Hohentwiela, caſtro munitiſſimo, in quo iam prius alii vires ſuas, ſed tentaverant fruſtra. Itaque nova illud & coronali quaſi circumſidione obſidere cœpit, exploſiſque in illud è vicinis locis tor-

mentis plurimis, & conie-ctisq; globis ignivomis concutere & terrere conatus eſt. Verum res ex voto ſententiaque non ſucceſſit, neque obſeſſis propter loci ſublimitatem atque diſtantiam, multùm detrimenti allatum eſt. Quin potius illi, ſub imperio Widerholdi, Strenuiſſimi Ducis & Defenſoris, viri ſagacis admodum ingenii, factis creberrimis eruptionibus, Cæſareanos magno animi robore aggreſſi, dici non poteſt, quantum infeſtarint, quantisque cladibus affecerint. Conatus equidem fuit Sparrius, dictum Widerholdum litteris ad ipſum datis, partim ampliſſimis pollicitationib9 partim gra-

viſſi-

viſſimis comminationibus propoſitis, ad ſeſe pertrahere, eique perſuadere, ut & ſeſe & Caſtrum Cæſar. Maieſt. dederet. Verum is contra firmo defenſionis propoſito, illa omnia ſprevit eluſitque, neque ſui iuris aut arbitrii negotium eſſe, ſed ex æquo ad omnes fœderis ſocios pertinere, reſcripſit. Quapropter Sparrius re deſperata, exercituque frigore partim & tempeſtatum iniuriis, partim quoque frequentiſſimis hoſtis irruptionibus fermè penitus attrito, & quod Erlachium cum auxiliis iam iam adpropinquantem metueret, obſidionem ſolvit, tanta quidem feſtinatione, ut plurima impedimenta bel-

bellica, tormentorum, item globorum, fartorum & pulveris pyrii copiam maximam ibidem reliquerit: quæ Twilenſes poſt eius diſceſſum in Arcem intulerunt. Didicit utique Sparrius, non eſſe idem, metalla ex montibus effodere, atque caſtrum ſaxis ſolidiſſimis innixum, ſubruere: ampliorem laudem conſequuturus, ſi armis aliò converſis, temeritatis atque audaciæ notam non ſubiiſſet. Detecta fuit menſe Octobri exitioſa adverſus Britanniæ Regem Scoticique regni Proceres conſpiratio, quæ plurimos interque eos quoque Ieſuitas multorum criminũ reos fecit; qui propterea in nervos & vincula com-

compacti, pœnas dederunt. Cauſa fuit illud atque occaſio enatorũ, graviſſimarum & pernicioſiſſimarũ diſcordiarum ſeminum, quæ temporis progreſſu in apertum & funeſtum bellum eruperunt. Atque ne Italia, plurimis aliis regnis laborantibus prorſus libera à bellicis motibus abiret, præter quod Gallo cum Hiſpanis res fuit, etiam inter Pontificem Romanum, interque Ducem Parmenſem, ſimultates non leves quæ dudum gliſcere inter utrumq; cœperant, invaluerunt: occupato à Pontificio exercitu Caſtro, loco omnibus rebus neceſſariis inſtructiſſimo. Dux ipſe paulo poſt à Pontifice excommuni-

muni-

municatus, omniaque eius bona Fiſco Pontificio ſubiecta fuerunt. Quæ belli tàm exitioſi, (vt videbatur) flamma, ne vicinos Italiæ Principes alios invaderet, milites ubique ab iisdem conſcripti, inque ditionum ſuarum limites deducti ſunt. Menſe Novembri Bruxellis diem ſuum obiit Ferdinandus Auſtriacus, Cardinalis & Infans Hiſpaniæ, Provinciarum Belgicarum Gubernator: quem biduo poſt Princeps à Stadian, M. M. Ordinis Teutonici ſequutus eſt, ſuccedente Leopoldo Wilelmo, Archiduce Auſtriæ. Deliberatum eſt Viennæ hoc tempore de reſtituendo Palatinatu, intercedentibus

Dani-

Danicis, Anglicis, Saxonicis & Brandenburgicis Legatis, propoſitaq; ſunt certa quædam deliberandi capita: Sed quoniam non omnes, quorum quidem intererat, adfuerunt, in aliud tempus negotium reiectum eſt. Appulit etiam ex Suedia ad littus Pomeraniæ, Leonhardus Torſtenſohnius, ſubvectus in locum Banerii, eiusque in militia ſucceſſor, cum octonis præter-propter millibus, & conſtitutis Straleſundæ, quæ neceſſaria erant, cum cæteris ſeſe coniunxit, firmoque progreſſu in Saxoniam properavit: cuius adventus, dici non poteſt, quantam perturbationem, trepidationem, mutationemque

excitaverit, ſublata protinus Gôttingenſi obſidione. Sed & in Anglia novi extiterunt motus, multis in ſuſpicionem coniurationis adductis, multis etiam in carcerem coniectis, qui igni Hybernico oleum affuderunt, & ſeditionem excitatam vel apertè, vel clam & quaſi per caniculos, ſuſtentarunt. Conſcriptus fuit etiam exercitus in Hyberniam mittendus, & decretum factum, ut Romano-Catholici omnes intra decem milliaria Londino abeſſent. Ipſe etiam Rex menſe Decembri, urbem Regiam ingreſſus, maximoque applauſu & lætitia exceptus fuit. Ex quo tamen non obſcura indignationis & ſimul-

tatum

tātum ſigna inter Regem &
Iudicium Regium obſervata
fuerunt; quæ ſi deleri po-
tuiſſent, & dum in herba fuit
malum, caſtigari, nunquam
tantam ſenſiſſet Regnum
Britannicum calamitatem,
quantum in hunc uſq; diem
expertus eſt: non ægrè hoc
ferentibus aut dolentibus
ſed potius ſibi gratulanti-
bus, inque ſinu gaudentibus
illis, qui bellum in Germa-
nia duci, non geri, atque re-
ſtitutionem Palatinorum
prohiberi obtabant. Blandi-
ta iterum Hiſpanis eſt For-
tuna, extremo anni menſe.
Nam Aria, ultra menſes qua-
tuor obſeſſa, ab iisdem rece-
pta eſt factis, non quas victi,
ſed victores voluerunt, con-
ditio-

ditionibus, & inventa in urbe maxima omnis generis inſtrumētorum militarium, aliarumq; ad urbem defendendam neceſſariarum rerum copia. In qua, durante obſidione, ex annonæ penuria, tanta fuit excitata fames, ut felis octo, canis decem & quinque florenis venditus fuerit; milites armorum lora & amenta conſumpſerint, imò neque ipſius Gubernatoris canibus venaticis pepercerint. Mortui ſunt fame amplius mille & ſexcenti Gallorum: & quibus urbe excedere licuit; mortuis quam vivis ſimiliores videbantur. Et hic quidem exitus fuit, anni ſupra milleſ. ſexcenteſ. quadrag. primi.

An.

An. M. DC. XLII.

NEque verò lætiora fuerunt huius ſequẽtis quadrageſimi ſecundi auſpicia, ſtrenas & apophoreta diſtribuentibus Vinmarienſibus. Copiæ enim Gallicæ, Vinmarienſes & Haſſiacæ, poſtquam in Fuldenſi Principatu & Monaſterienſi Epiſcopatu hybernaſſent, iuſſu atque autoritate Regis Galliarum in Colonienſem Archiepiſcopatum, itemque in Clivenſium, Montium & Iuliacenſium regiones, arma ſua convertentes, loca illa circumquaque tributaria ſibi facere tentarunt, tranſitum ipſis ad Veſaliam trans Rhenum permittẽtibus Belgis. Erat in eo totus Lam-

boius

boius Comes, ut eos præverteret, ſuasque cum Hazfeldii copias conjungeret. Sed illi conſilium ex arena capientes, firmo progreſſu in eos moverunt, ſummam rerum tenentibus Eberſteinio & Guebriano comitibus, primam verò aciem ducente Roſa. Fuit ad Kempam locus planus & apertus, duplici vallo tripliciq; foſſa munitus. Eum occupare, antequam univerſus exercitus conveniret, Dux Guebrianus tentavit; ſed repulſus eſt, fortiter admodum pugnante Lamboio, Teſſerariorum ſummo Præfecto. Poſteaquam verò omnes copiæ convenissent, viam ipſi ſibi ad Cæſareanos diſtinctis in locis patefecerunt, & primâ quidem

dem coitione acerrimè rem egerunt. Pugnatum eſt benè diu Marte admodum dubiô. Sed tandem cedere campo Cæſareani coacti ſunt. Cruentum plane fuit hoc prælium, multoque ſanguine conſtitit. Occubuerunt in eo ex Cæſareanis ad tria millia, capta autē quatuor millia, inter quos fuerunt præcipui, Lamboius ipſe, Mercius, Eppius, Rodouuanus & alii plures. Venerunt in Vinmarienſiū poteſtatem ſigna centum & quadraginta ſex, cum machinis & impedimētis omnibus. Fuit inſignis illa victoria, & vel hoc nomine pluris facienda, quod multa confeſtim oppida & caſtella deditionem fecerunt, vix

etiam hoſtis vires experta, ut Noveſium & Kempa, quæ licet recepto in urbem præſidio, fortiter ſeſe defenderit, paulò tamen poſt, hoſtibus oppugnationem urgentibus, ad deditionem compulſa eſt. Deprehenſa hic fuit ingens annonæ copia. Addidit non parum animi tam felix ſucceſſus nō tantùm Calcarienſibus, ſed etiam in Saxonia Gôttingenſibus, ut crebris excurſionibus prædas agere, Cæſareanorumq́ue vires atterere & frangere non dubitarent, inprimis Kônigsmarkius, qui propè Halberſtadium, quatuor legiones oppreſſit, cæteris verò non levem metum atque terrorem incuſſit, non parum adiumenti

menti hanc ad rem conferente, ſummo militiæ Suedicæ Præfecto Torſtenſohnio, qui nuper ad exercitum, ut cum Imperio eſſet, advenerat, habitoque ad Tangermundam delectu, iureiurando eundem ſibi obſtrinxerat. Vbi etiam de cœlo obſervatum fuit, apparente in nubibus protenſa manu, gladium cruentum vibrante. Quod portentum plerique de prælio mox committendo, quo de rerum ſumma contenderetur, interpretati ſunt. Vbi tamen non multum abfuit, quin in maximas inſidias & diſcrimen præſentiſſimum adductus fuiſſet Exercitus Suedicus, ſi quidem à Seckendorfio, inſtituta & ali-

quo uſque perducta conſpiratio ex animi ſententia ſucceſſiſſet. Sed digna perfidiæ atque proditionis ſuæ præmia paulò poſt accepit. Turbatum quoque eſt porro in Anglia, remotis à dicendis ſuffragiis officiisque publicis per Edictum promulgatum & ab ipſo Rege confirmatū, qui ſacris initiati eſſent. Iubebantur eodem, intra viginti dierum ſpacium, Inſulâ excedere omnes Sacerdotes Romano-Catholici, conſtituto in tranſgreſſores capitis ſupplicio. Id quod Pontifici Romano bilem ita movit, ut de ferendo Hybernis auxilio, deque vindicandis Iudicii Regii iniuriis cogitationes ſuſceperit, in cuius rei

ſuſpi-

ſuſpicionem Hiſpaniarum Rex quoq; tractus fuit. Interim Vinmarienſes & Haſſiaci, univerſum Ducatum Iuliacenſem, intercedente licet atq; deprecante Principe Neoburgico, longè lateq; vaſtarunt, cuncta oppida & loca & vicina diripuerunt, cæteris verò tributa imperarunt. Fuit in non leve periculum adductus Archiepiſcopus Colonienſis & Ducatus Iuliacenſis, ex quibus ad viginti uſque equorum millia rapuerunt hoſtes, nefandam in miſeros colonos ſævitiam atq; crudelitatem exercentes, quos promiſcuè captivos abduxerunt, & qui redimendo non eſſent, globis transverberarunt &

miſerè trucidaverunt. Obſederant menſe Decembri anni ſuperioris Cæſareani Mansfeldam arcem munitiſſimam; quos licet ab eadem depellere tentarint ſæpius Suedici, ſucceſſu tamen res caruit, usque dum ſub initium Martii huius anni Kônigsmarkius, facto in obſidentes impetu, eos profligavit, captis Ducibus nonnullis, reliquis autem in vicinas urbes diffugientibus. Reddidit hic menſis Suedicis Guſtavum Hornium, ſummum quondam militiæ Suedicæ Imperatorem, poſtquam in annum uſque nonum, & quod excurrit, captiuus in Bavaria detentus eſt: Cæſareanis verò, Ioannē à Werth, Du-

Ducem famoſum; quorum uterque libertati reſtitutus eſt: Factum illud in ponticulo quodam lapideo non procul Lora, Alſatiæ oppido, ubi poſt dictam pauciſſimis verbis ſalutem, ambo ſeſe ad ſuos receperunt. Venit quoque ex Anglia in Hollandiam, Regina, unà cum filia, nova Wilelmi Auranienſis Principis nupta, non absque ingenti periculo & damno. Siquidem ex claſſe, quâ advecta fuit, navis quædam mari ſubmerſa eſt, plurimarum atque precioſiſſimarum rerum refertiſſima. Et poſtquam Hohentwilenſes per ſublatam Sparrii & Gildenhaſii obſidionẽ, liberrimam erumpendi facultatem nacti

ſunt, cuncta loca vicina infeſtare cœperunt; quorum exemplum in Thuringia imitati ſunt Erdfurtenſes, qui crebris excurſionibus Cæſareanos fatigarunt & Croatas apud Quedlenburgum fuderunt, relata ab ipſis opima præda. Cinxerunt obſidione Galli Colibram, in finibus Cataloniæ, eamq; frequentiſſima machinarũ exploſione tandem ad deditionem coegerunt. Tentaverũt equidem Hiſpani Tarraconenſes, extremè laborantibus ſuppetias ferre, hoſtemque ab obſidione revocare. Verùm, non procul Tarraconâ cum Gallis congreſſi, maximam cladem paſſi ſunt, occiſſis amplius duobus mil-

libus

libus & captis mille & quingentis , inter quos fuerunt multi Marchiones, Duces & Barones. Dum hæc in Catalonia aguntur, Dorſtenſohnius expeditionem in Sileſiam molitus eſt, ductoq; inter Havelam & Albim exercitu, per Saxoniam in Luſatiam ſuperiorem movit, occupatisque aliquot oppidis, cum Stalhanſii copiis ſeſe coniunxit. Nec defuit partibus ſuis, qui Erdfortum cum præſidio tenuit Erſtius, ſed eruptionibus Cęſareanos diverſis in locis afflixit. Dimiſſi ſunt menſe Aprili Comes Buchemius & Hofkirchius, hactenus apud Suedos captivi, Viennamque ingreſſi, maximâ cum lætitia & gratula-

 tione

tione excepti atque ſalutati ſunt. Agebatur tunc in Anglia, non ſine magna cura & ſolicitudine de modo componendorum motuum Hybernicorum, ſed fermè ſine effectu, imò etiam cum metu maximorum odiorum & diſſenſionum, in quas cum Rex ipſe tùm Iudicii Regii Præſides & Aſſeſſores mutuò exarſerunt, Rege nimirum expeditionem ſuſcipiendam urgente, Iudicio verò omnibus rationibus & conſiliis illud prohibente Iactabantur Catholici Hybernici variis fortunæ flatibus, victoriâ ſemper fermè apud hoſtes cõſiſtente. Non quieverunt in Germania Suedici, cumprimis Erdfurtenſes,

qui iteratis ſæpius eruptionibus longè lateque graſſati ſunt, & promiſcuas prædas egerunt, mercatorum bona in via publica diripientes, vel ingratiis etiam ipſius Gubernatoris, qui impoſita in Autores pœna capitis, edixit, ne quiſpiam de illis Erdfordiam illatis, quicquam coemeret. Eſt in Sileſia Glogovia, urbs primaria, naturâ loci manuque hominum egregiè munita, eam obſidione primùm cinxit Dorſtenſohnius, deinde verò, poſtquam bihorium eam oppugnaſſet, in ſuam poteſtatem redegit, omni armorum, annonæque copia abundantiſſimam. Quæ res Franciſcum Albertū Principem Lauen-

burgium impulit, ut Vratislaviâ, ad quam caſtra habebat, in hoſtem moveret, & Schweiniziam præſidio muniret antequam eâ potiretur Torſtenſohnius, quem adventare audiverat. Sed adfuit ille opinione celerius, cum equitatu lectiſſimo, & Kônigsmarckio coniunctus, Cæſareanos concluſos, fudit, inque fugam coniectos Vratislaviam usque perſequutus eſt, captis amplius bis millenis equitibus ipſoque etiam Lawenburgico Principe lethaliter vulnerato. & globo iuxta virilia traiecto: qua ex plaga, illatus ille in prætorium caſtrum, paulò poſt expiravit. Venerunt in manus hoſtis Duces pluri-

plurimi, cum ſignis triginta octo. Cladem hanc ſequuta eſt die poſtero ominoſa Dresdæ res. Nam in templo Crucis labarum ferale Arnhemii, in tholo ibidem ſuſpenſum, nemine manum admovente, convulſum eſt. In Flandria autem Arteſiaque Franciſcus de Melo rem benè & præclarè geſſit. Simulata namque Atrebatenſi obſidione repentè nec quicquam tale opinantibus hoſtibus, Baſſæam, munitiſſimum illud Flandriæ oppidum, quod anno ſuperiore à Gallis occupatum fuit, iiſdem eripuit, atque Hiſpanis aditum in Comitatum illum patefecit. Quam iacturam tamen fortuna egregiè

mox compenſavit. Perpignanum enim, Maio menſe à Gallis obſeſſum eſt, oppidum munitionibus Briſaco haud inferius, præſente in caſtris ipſo Francorum Rege Ludovico. Annixi quidem fuerunt Hiſpani, Gallos ab obſidione repellere; ſed fruſtra, Haudencurtio ipſis obviam procedente eosque à ferendis ſubſidiis prohibente. Quocircà de frangendis alio in loco Gallorum viribus cogitationes ſuſceperunt. Et vero res ex voto ſucceſſit. Nam Franciſcus Melius in Comitem Guichium movit, eumque ſic penitus attrivit, ut ex univerſo eius exercitu pauci admodum evaſerint, cæteris omnibus

vel

vel in acie cæſis vel captis, unâ cum octodecim ſignis equeſtribus, decem tormentis bellicis, & ingenti auri argentique copiâ. Quæ victoria magnam lætitiam atque gaudium in plerisque Brabantiæ civitatibus excitavit, cunctis eam fauſtis congratulationibus proſequentibꝰ. Lechenichū etiam à Comite Guebriano per menſem fermè obſeſſum adventu exercitus Bavarici, & coniunctione cum Hazfeldio, è periculo, in quo verſabatur, ereptum fuit: non ſine maxima, cum civium tùm præſidiariorum in defendendo oppido, virtutis atque fortitudinis laude: obſidentium verò probro atque ignominiâ,

niâ, ut qui Canile, oppidum illud, per contemptum appellare conſueverant. In Britannia diſcordiæ, animis utrinque nimium quantum exacerbatis, quotidie in apertum & exitioſum bellum erupturæ videbantur. Paſſi ſunt itidem Hybernici magnam cladē, amiſſo per ſtratagema Calinforto, urbe primaria atq; occiſis in prælio amplius mille & octingentis, & relatis ſedecim ſignis militaribus. Quam tamen maculam paulò poſt, atroci cum Anglis & Scotis pugna commiſſa, & occupatis urbibus pluribus, deleverunt. Mortuus eſt 10. Iunii Cal. N. ex acceptis in acie vulneribus Franciſcus Alber-

bertus Saxoniæ Lawenbur-
gicæ Princeps, & Noveſium,
Epiſcopalis ſedes à Suedicis
captum eſt, non ſine ingenti
damno, obſeſſoribꝰ, per hor-
rendam ex urbe tormento-
rum exploſione, illato. Quod
fatum quoque expertæ ſunt
Namslavia, Koſſelia & Op-
pelia, cum multis aliis Sile-
ſiæ oppidis. Quin & ipſa Vra-
tislavia non fruſtrà ſibi ab
hoſtibus metuit: quam tamē
aliquanto poſt recreaſſe viſa
eſt, Suedicorum in Moravi-
am irruptio: quâ intra breve
temporis ſpatium, plurima
loca, etiam Olomuziū, præ-
cipua civitas & ſedes Epiſco-
palis, in Torſtenſohnii pote-
ſtatem venit, dedente ean-
dem Antonio Miniati Gu-
berna-

bernatore poſtquam copiæ Cæſareanæ longius ab eadem ad fines usque Hungariæ digreſſæ fuiſſent. Fuit hæc civitas, omnibus rebus, cum ad pacem, tùm ad bellum ſpectantibus inſtructiſſima, animumq; Suedicis addidit, ut in eam retinendam & novis propugnaculis muniendam omni opera ſtudioque incumberent, autore inprimis & ſuaſore Wankio, eo, qui Gorlitium tempore ſuperiore, admiranda laborum & periculorum cõſtantia defendit, & nunc ad hujus urbis Imperiũ ex Schweinizio excitus fuit. Tam felices rerum ſucceſſus Piccolomineum ſtimulant, ut collecto ſedecim millium exerci-

tu, in Sileſiam ad reſiſtendum hoſti properaret, cuius expeditio multis prodigiis atque portentis conſtitit. In finibus enim Pomeraniæ ſanguine pluit: viſi ſunt in aëre ſtricti & cruentati gladii inter ſeſe dimicantes: in foſſa etiam Lipſienſi, ad D. Petri portam, ſanguinis ſcatebra eripuit: cuius ſignificatio ex funeſto prælo in lato campo, inter Suedicos & Cæſareanos commiſſo, & ipſius urbis non multo poſt ſequuta occupatione, lucem ſatis claram accepit. Fuit interea Archipręſuli Colonienſi magna ſpes in Cæſareano-Bavarico exercitu: qui, cum Coloniam tranſiiſſet, firmo progreſſu in Haſſo-Winmarien-

rienſes, intra caſtra ſua probe munita ſeſe continentes, properavit, eosque magno animo adortus eſt: qui acceptâ famâ quod Moſam hoſtis ſuperaſſet, metuentes, ne intercluderentur, relicto Grevenbrugo, Ordingam petiverunt, commodum, ad ſubvehendam Rhœno flumine, annonam, locum. In ſuperiori quoque Germania non otia egerunt Philippo-Burgici, qui Hagenoenſes ſtratagemate laceſſitos & per inſidias circumventos, partim trucidarũt, partim ceperunt, ingenti prædâ onuſti domũ redeuntes. Eandem fortunam expertus eſt Reichwaldus, Dux Suedicus in Bohemia, quem Croatæ reditum

in

in Sileſiam molitum, interceperunt, omnibusque copiis exutũ cõfecerunt. Contrà Erdfurtenſes, facta in ipſam uſque Bohemiam excurſione, plurima Miſniæ & Voitlandiæ loca ſibi tributaria fecerunt. Rex Angliæ necdũ in gratiam cum Proceribus repoſitus, conductis corporis ſui cuſtodibus & præſidiariis, in bellum magis magisque incumbere cœpit: & quò ſubditorum animos ſibi devinctiores redderet, inque partes ſuas pertraheret, ipſe Inſulæ regiones atque urbes obivit. Coacta fuit à Londinenſibus magna vis pecuniæ, quâ Exercitibus ſtipendia ſolverentur. Subſcripſerunt Scoti in cunctis Iu-

dicii regii conſiliis & ſuffragiis; hoſtesq; patriæ renunciaverunt omnes, qui Regnorum Scotiæ Angliæque diſtractionem atque diſſociationẽ quærerent. Et quo firmiora eſſent gerendi belli adminicula, viſum fuit Londinenſibus colligere diebus feriatis pecuniam, quæ in uſus militares converteretur. Non defuit Regina partibus ſuis, ſed apud Hollandos agens, de ſubvehendis ad bellum neceſſariis machinis & tormentario pulvere, Regi proſpexit, pignori datis preciosiſſimis monilibus, armillis, torquibus atque id genus aliis. Neque minore promptitudine cives Londinenſes tributa ſolverunt ad conſcri-

ben-

bendum pro defenſione urbis militem. Conceſſit menſe Iulio fatis Coloniæ, Regis Galliarum mater, conditoq; Teſtamento, eius Executorem Archiepiſcopum Colonienſem ſcripſit. Dux Bullionius iuſſu Regis in cuſtodiam datus eſt; cuius rei cauſam ignorare quam ſcire præſtat. Fuerit quæcunque alia, Regis certè frater amplius trecentos Nobiles edidit, qui omnes in Regis vitam Regnique perniciem conſpiraſſent. Cuiusmodi etiam coniuratio Olomuzii in Moravia detecta atque repreſſa fuit, autore eius, quatuor equis membratim dilaniato atque diſcerpto, cæteris vero viginti quatuor ca-

pite

pite truncatis. Venerunt in Germaniam menſe Iulio copiæ Suedicæ, quæ Torſtenſohnii exercitui iungerentur, octo millium numerum excedentes. Ratisbonæ periculoſum exortum eſt incendium, quô parùm abfuit, quin templum S. Emerani penitus conflagraſſet. Fecit in caſtra Vinmarienſia irruptionem Baro Ioannes de Werth, atque greges pecudum & iumentorum abegit, ducto inter captivos alios Comite Wittigſteinio, qui glande per collum adacta ſauciatus eſt. Eius virtutem æmulatus Sparrius Latomū, cum ingenti præda ex Iuliacenſibus in caſtra reverſurum, inſidiis excepit, atque

hic attrivit, ut pauci admodum evaſerint. Sed & Sporkius ex Franconia, poſtquam reſcivit, equitatum omnem Erfurdiâ cum Kônigsmarkio egreſſum eſſe, erupit, & ad urbem improviſo veniens, amplius tria millia pecudum, abegit: quæ præda tricies millibus Imperialium æſtimata fuit. Affecit etiam magna clade Hallierum, Ducem Gallicum Princeps Lotharingiæ, ad Caſtrum la Motte, ubi in fugam compulſus, unâ cum paucis aliis evaſit. Extremo autem Auguſto Perpignanum à Gallis deditione captũ eſt, claſſisque Hiſpanica novi Orbis theſauros ſubvehens, ad Inſulam S. Dominici, exceptis

duabus navibus periit. Diſceſſit menſe Octobri ex Sileſia cum exercitu Torſtenſohnius & caſtra ad Lipſiam poſuit: mox occupatis ſuburbiis, mœnia tormẽtis quatere & globos ignivomos in urbem coniicere cœpit, omnibus viribus in expugnationem incumbens. Sed cum nuncio accepiſſet, Archiducem Leopoldum VVilhelmum & Piccolomineum ad ſuccurrendum obſeſſis adventare, & jam in propinquo eſſe, repente obſidionem ſolvit, atque in aperto campo, eo ipſo in loco, in quo anno 1631. prælium commiſſum fuit, aciem ſuam inſtruxit & cum hoſte congreſſus, inſignem cruentam tamen

victoriam retulit, amiſſis ex utroque exercitu fortiſſimis Ducibus & plurimis captis. Potiti ſunt Suedici omnibus Cæſareanorum impedimentis, inter quę fuerunt 42. tormenta, 45. centenarii pulveris pyrii, 108. ſigna peditum, & 84. equitum, cum Archiducis argento caſtrenſi & viatorio, ſcriptis item ſecretioribus & aliis rebus notæ primæ quam plurimis. Poſt victoriam Torſtenſohnius ad urbis obſidionem iterandam ſeſe recepit, & frequentiſſimâ machinarum exploſione, quæ ſine ulla fermè interruptione facta eſt, itemque fartorum in urbem iniectione. mœnia, inprimis verò arcem Pleyſſenburgenſem ſic con-

cuſſit atque convulſit ut poſt actos 22. Novembris cuniculos, quibus magna propugnaculi pars corruit. 26. tandem, ſenatus Oppidanus & Academicus, propoſitis utrinque certis conditionibus urbem Torſtenſohnio dederint, poſtquam quinque ſeptimanas obſeſſi, vim hoſtis maximam, non ſine laudabili animorum magnitudine ſuſtinuiſſent. Prodiit hoc tempore ſcriptum, quò Elector Bavariæ, ſuſpicionem à ſeſe amoliri conatus eſt, quaſi ſcilicet per ipſum ſtetiſſet, quo minus Palatinatus priſtinis ſuis poſſeſſionibus reſtitutus fuerit.

## An. M. DC. XLIII.

POſtmodum verò Torſtenſohnius ſeſe contulit ad obſidionem Freybergæ, oppidi montani, neque minore ſtudio & conſtantia eam atque Lipſiam oppugnavit; defendente urbem Sweinizio, viro ſtrenuiſſimo. Verùm, cum poſt aliquot ſeptimanarum improbos obſidionis labores in audiviſſet Piccolomineũ & Colloredum, cum ſubſidiis in propinquo eſſe, obſidionem ſumma cum feſtinatione ſolvit, reque infecta diſceſſit. Quæ dum in Miſnia gererentur, Vinmarienſes interim in Franconiam irruperunt & occupatis aliquot oppidis & arcibus

Mœnoque ponte juncto, in Ducatum Würtenbergicum irruerunt. Quibus Walius, Merzius & Werthius, collecto ex hinc inde in Hybernis agentibus militibus exercitu & adſcitis Lotharingiis etiam ſeſe oppoſuerunt, atq; prohibuerunt, ne ad Danubium uſque penitrantes, in Bavariam irruerent. Receperant oppida quædam præſidia Vinmarienſia, ſed maximo ſuo cum damno. Nam paulo poſt expugnata & occupata iterum, vel imprudentiæ vel neceſſitatis pœnas luerunt graviſſimas. Ipſi interim hoſtiles exercitus, mutuis cum irruptionibus tum conflictibus ſæpius quidem concurrerunt, nunquam tamen



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0320-4

men juſto prælio decertarunt, quanquam frequenter, acie inſtructâ, vix leucis una alteraq; à ſeſe abeſſent, non ſine multorum admiratione, imò etiam ſuſpicione. Vinmarienſes tandem relictis Canſtadio, Stutgardio, Eſſelinga, Rûtlinga, Rotenburgo & aliis nonnullis, in vallem Kûnzingam ingreſſi, ſedem inibi vixerunt. Bavarici verò, aliquousque eos inſequuti, cùm nullam pugnandi copiam hoſtis feciſſet, Tubingam & vicina loca alia repetiverunt, atque illinc in hyberna ſeſe receperunt. Effectum eſt hac expeditione, ut ab utroque exercitu, Ducatus VVûrtenbergicus & ager item Vlmenſis, tanta acce-

ceperint damna atque detrimenta, quanta poſt belli huius exitioſiſſimi prima initia unquam paſſi ſunt. Id quod deplorant non homines tantùm, ſed ipſæ quoque urbes, oppida, vici, pagi, villæ, vineta, arboreta, imò etiam pecudes & jumenta, ſi vocem haberent, loquutura eſſent.

* *
*

FINIS.

atque de-
a poſt belli
i prima ini-
i ſunt. Id
non homi-
ſæ quoque
i, pagi, vil-
ta, imò eti-
umenta, ſi
ent, lo-
ſent.

I S.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0324-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0325-1
DFG

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0326-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0327-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0328-7

Yc
4632

ULB Halle
004 787 900
3

K077

W. C.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0329-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0330-9

2 Er
tiis cer
culari
tium ,
am inf
mum f
nunc c
diu int
vocata
rum vi
præter
miâ lil
mutua
ſolent
repert
rum ſa
ageba
va vel
factior
quoqr
progr
enſi pa
in cor

RUMA
e lic
is ter
nt, c
Calv
quan
amer
â im
t, lo
rofe
erma
k ab c
t, id
que f
uod a
oteſta
ctorib
ltis f
mbig
homi
anim
orma
o ord
nare

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-25107-p0331-4